


De Don Joaquin Miguel de  
Almansa y Uriarte.

27.  
a.  
15.


B-61-150





R. 19 445  
DE

DIFFICILLIMO GENERE  
EPISTOLARUM,  
SIVE  
RATIO  
OFFICIOSAS  
EPISTOLAS  
FACILE, PURE, ET ELEGANTER  
SCRIBENDI.  
AUCTORE  
IGNATIO WEITENAUER,  
SOCIETATIS JESU SACERDOTE.  
CUM LICENTIA.



---

EDITIO TERTIA.

---

AUGUSTÆ VIND. & FRIB. BRISG.  
Sumptibus Fratrum IGNATII ET ANTONII  
WAGNER.

ANNO MDCCCLXIX.



१५१३८४६



DE  
DIFFICILLIMO GENERE  
EPISTOLARUM,  
AD GERMANUM RUÆRUM  
NOBILEM STYRIUM.

P R A E F A T I O.

**M**itto tandem, quod pridein debo,  
Ruæ nobilissime, & pignus hoc  
amicitiæ nostræ volenti offero. Tre-  
pida manu id facerem, si quæsita mihi  
ingenii laus esset, non obsequii. Si quid-  
quid scripsero, displicuerit tibi; unum  
certe displicere non potest, scripsisse me  
te jubente. Vide, quanti te faciam, Ruæ  
amicissime: tui amore Horatium meum  
deserui; quem quanti faciam, non te fugit.  
sciebam, monere illum:


,,Sumite materiam, vestris, qui scribitis,  
æquam  
Viribus; & versate diu, quid ferre re-  
cufent,  
Quid valeant bumeri.,,

Ego



Ego vero, ut primum voluntatem tuam intellexi, accinxi me operi; nec quid ego possem, sed quid tu cuperes, consideravi. Ne tamen violati penitus Horatii reus essem, id saltem curavi, ut vires humerosque huic oneri pares afferrem; & librum hunc, quem e tuis manibus ad plures transiturum satis prævideo, ita elucubram, ut consumpti in eo legendo temporis pœnitere neminem posset. Præceptis utor paucissimis: exemplis, observatio- nibusque quam plurimis: illorum enim copia onerat, istorum illustrat. Erudi- tionis curam habui singularem, ut, quic- quid huic argumento idoneum per multas librorum centurias sparsum est, in pau- cas pagellas colligerem, ac veluti eliqua- tum copiosissimæ lectionis succum hic propinarem. Laudem, inquis, diligen- tiæ a me reposcis. Sic est, mi Ruæ: hoc a te audire cupio, me nulli peper- cisse studio, ut, quod a te desiderari sciebam, quam perfectissimum ad te per- veniret.

DE



# DE DIFFICILLIMO GENERE EPISTOLARUM.

## EPISTOLA I.

*Quæ sit Epistola omnium difficillima.*

**Q**uæris ex me, Ruæe, quod mihi Epistolarum genus videatur esse difficillimum, & an ulla omnino Epistola alliganda præceptis sit, an potius naturæ & cujusque ingenio relinquenda. Nobile argumentum eligis, tuaque eruditione dignum, Ruæe doctissime: quod seu tentandi mei, seu alia quacunque caussa rogas, respondebo ampliter; quid enim petas, intueri soleo, non quare petas.

Legeram adolescens admodum Bo-  
huslai Balbini sententiam quæ mihi tum Artem viri auctoritate, tu<sup>i</sup> Novitate sua, alte-  
tum descendit in ani. am. De Episto-  
lis ita scribit ille: *Omnia verisimile est,*  
*nullam extare Epistolarum artem, aut si ju-*

A

*invic-*

*invenitur, esse eam tam tenuem, & tam paucorum præceptorum, ut nomine Artis non sati digna videatur; si vero tam difficultis, ut Nicias toties inculcat & contendit, eam ad alias scientias sine dubio referri debere* (a). Totum enim Epistolæ corpus ait duabus tantum rebus contineri, argumentis, & latinitate; quarum illa ad Rhetoricam aut Dialecticam, istam ad grammaticam pertinere. Plausibilis, ut verum fatear, & subtilis etiam hæc opinio visa est: quid enim pulcrius, aut expeditius, quam profligare tribus verbis totum hunc præceptorum exercitum, quem ceteri contra Epistolarum vitia operose educunt? Sed ubi Balbinum adversus torrentem niti, omnesque alios sentire aliter vidi; coepi nimirum suspiciari, ne speciosior esset ejus doctrina, quam verior. Quid enim? ajebam, cæcine fuerunt Erasmus Roterodamus, Johannes Voellus, Rochus Perusinus, Antonius Possevinus, aliquique, qui Artem Epistolarem diligenter sibi pertractandam putarunt? Quid Justus Lipsius? quid Emanuel Thesaurus? hi quoque tanto illo suo splendore non sunt indignum rati, peculiarem de Epistolis institutionem posteritati relinquere. Rogas,

(a) *Balbinus in Verisimilibus Humaniorum Disciplinarum, c. 2.*

gas, utri me parti ego addicam? Utrique. Ego enim, Ruæe, Epistolarem aliquam Artem ita existimo necessariam, ut multa tamen in Balbini sententia vehementer probem. Quod ut explicem accuratius, patere quæso, ut de universo Epistolarum genere quid sentiam, distincte exponam.

Epistolarum materia latissime patet. Materia Quæcunque in sermonem humanum, Epistolæ eadem in Epistolam cadunt: ut ergo tape ad loqui ita & scribere de rebus plane omnibus possimus, nec raro debemus. Non Epistolæ rem Ar-  
tamen idcirco, qui Epistolæ scribendæ tem non pertinet; artem docere velit, omnia omnium scientiarum ac facultatum arcana riunetur necesse est: ut enim architectus non coquit ipse lateres, non ligna cedit, quibus indiget; sed aliunde advecta in suos usus convertit, ex iisque dominum extruit: ita non est disciplinæ epistolaris, materiam quamcunque conquerere; sed ex illa aliunde ut plurimum allata, ut ita dicam, exædificare Epistolam. Divus Ambrosius arcanos Divinarum Literarum sensus exponit: Augustinus Theologus est, Bernardus viæ religiosæ magister: Gregorius Magnus in *Registrō* responsa per epistolas reddit ad Pontificium Jus pertinentia: Seneca philosophilam totam moralem, Lipsius omnis

generis eruditionem complexi epistolis sunt : denique Pontificiarum legum libri omnes rescriptis meritis, id est, epistolis constant. Num idcirco , ut scribere epistolas sciam , Theologum me & Jurisconsultum , & Philosophum , & omnia denique jubebis esse ? Recte proin de hujusmodi literis sentit vir doctrina quam vita melior , Desiderius Erasmus Roterodamus : *Per paucæ sunt, inquit in quadam ad Rhenanum epistola, quas non libros rectius appellari, quam epistolas.* Atque harum ego materiam assentior omnino Balbino *ad alias scientias sine dubio referri debere.*

Sæpe ul- Verum hujus generis Epistolæ pau-  
tro se of- corum sunt, nec præcepta a magistris  
fert : requirentium. De quotidianis potius  
literis videndum est, quibus narrare so-  
lemus, petere, solari, suadere, ac dis-  
suadere, quæque alia vel humanitas,  
vel necessitas poscit. An ad hæc præ-  
ceptis, an arte opus est ? Negat Balbi-  
nus : ajunt ceteri, & ingentem præce-  
ptorum sylvam accumulant. Quid ego ?  
Dixi, utrisque assentior : nego, & ajo,  
Materia in his epistolis præceptis non  
indiget : stylus & in his, & in priori-  
bus certas leges vel exposcit, vel certe  
admittit. De materia quidem non vi-  
deo quid esse dubii possit. Nam si nar-  
ratu-

raturus sum in epistola , poterone nescire , quid narrem ? Siquid peto , scio , & quid , & quas ob causas petam . Si consolor , non tam e communibus quibusdam locis concionari oportet , quam ex ipsis rei visceribus depromere , quo vulneris dolorem leniam : id autem non regula , sed res præsens , & prudentia docere debet . Siquem commendo , si quid suadeo ; rationes , quæ amicum moveant , afferendæ sunt : quas nisi res ipsa suggerat , frustra e libro petieris .

At sola materia non absolvit epistolam . Sed style ornanda Utī cera non sufficit , ut imaginem habeas , nisi forma acceſſerit : ita , etſi ſcribendi argumentum ſuppetat , id ipsum in certam formam ducendum eſt , & ſtylo poliendum . Soli vero Grammaticæ totam ſtyli artem relinquere fane non auſim . Fac enim , adolescentem absolute Grammatica velle ad parentes ſcribere : non peccabit is in Grammaticam : fed an continuo venusta erit epifola ? an , quo exordio , quo epilogo , quo partium nexu utendum fit , ſciet ? Placet ergo mihi doctiſſimus Lipsius , qui , de materie , inquit (b) , totum mediocris cuiusdam prudentiae eſt : & vix peccatur . at in ſernione labor & error eſt ; nec corpus illud hodie crebro cultum vidimus (libere effero)

A 3                   decenti

(b) Lipsius Institutionis Epifolice c. 7.

*decenti hac veste.* An nos , mi Ruæe , id videmus hodie ? Crebro certe non videmus . Circumvolant tot ubique epistolæ , quot hybernæ nivis vellera : e quibus , si barbaras , si duras , si tumidas , si obscuras , si inelegantes rejeferis ; saepè digitalis fasciculus non restabit . Atqui non deest materia ; ne Grammatica quidem : stylus deest . Omissa ergo , inquis , materia , excolendus cum Lipsio stylus est . Ita dicerem , Ruæe , si Liplii seculo viveremus . At nostra ætas *pejor avis* , ut cum Lyrico dicam , plus nobis tulit laboris . Invaluit nunc importunum illud officii genus , quo Christi Nascentis aut Resurgentis ferias , Calendas Januarias , amicorum patronorumve Natalem , & si qui sunt dies alii , felices iisdem precamur . Hoc est , Ruæe , quod quærebamus , genus Epistolæ difficillimum ; quippe cuius non modo stylo prospiciendum sit , sed aliquanto magis materiæ . Hæc est Epistola illa , quæ ut Joannes Bonifacius venuste dixit , *argumentum sine argumento pertexit* (c) : quæ cum nihil fere habeat , nisi inane officium ; implere tamen de nihilo paginam debet : verbo , quæ adolescentibus tormentum , viris fastidium , omni-

(c) Bonifacius præf. in sapientem Fructuorum.

omnibus malum necessarium est. Epistolis ceteris multæ multorum præceptiones scriptæ sunt : hæc , quæ indigebat maxime, destituitur. Ceterarum exempla omnes bibliothecas implent ; hujus, si bona feligas , manum non implant. in ceteris materia faltem domi nascitur : hujus tota supellex est, Gratulor.

Scio , quid peritissimus Balbinus præcipiat , qui omnes scribendæ Epistolæ humanitatem regulas ad solam humanitatem redigit; te non ab & idem prorsus scribere jubet , quod in solvitur. urbano colloquio verbis preferres. Sed non hic Balbinus de nostri generis Epistola loquitur : in hoc enim non facilius est loqui , quam scribere ; si tamen ita loqui cures , ut eruditis auribus probari possis. Non soli adolescentes trepidant , cum vel coram , vel per literas gratulandum est ; viros quoque balbutire advertimus , & verba quærere , & gaudere mirifice , si is , quem alloquuntur , interpellet cito. De literis certe in confesso est : loquuntur ipsæ , loquuntur scribentes. Ipsæ quam jejunæ sunt , boni superi , quam omnis salis expertes plerumque ! scribentes vero id genus epistolas tanquam supplicium aliquod pertimescunt , ex alia in aliam hebdomadem differunt , tandemque , ubi

defuncti molestia sunt, haud secus ac partu levati, sibi potius, quam patrono suo gratulantur. Meministi, Ruæe cultissime, quoties inepti hi gratulantium codicilli instar fabulæ fuerint. quoties risimus, cum illi Nestoris anni redirent, & corporis animique prosperitas utramque paginam faceret, & totum epistolæ corpus, sine exordio, sine epilogo, velut ursæ catulus, indistinctus quidam globus esse videretur, qui nec caput, nec caudam haberet! Unde id, nisi quod scripturos materia deficit? quæ si supppereret, non jam opus esset miseras voculas undecunque demum corrogare, & vel sic deinum nihil aliud chartis illinere, quam voces, ut Horatius in Poetica inquit, *inopes rerum.* Non desunt autem, qui tui similes, humanissime suavissimeque Ruæe, nativa eloquentia, nobilitate & exemplis domesticis, perpetuo usu illam aularum linguam ita perdidicerunt, ut blandissimo verborum nectare non magis quam favus melle destitui possint. Scio hoc, & in te, Amice, experimentum dulcissimum habeo. Sed quot tu mihi tales? cur tanti fiunt, nisi quia rari sunt? Et vel his quoque, utut natura, olitis, usq; disertis, audebo in aurem insufurare: *Ars tamen est dux certior, quam natura.* (d) Est hæc magni artificis vox,

(d) Cic. l. 4 de finibus.

qui politicis artibus non minus quam facundia instructus, nihil magni fecit, nisi quod merebatur. Tu quidem, præstantissime nobilissimeque Ruæe, beatus es, qui artem naturæ, doctrinam nobilitati, facundiam urbanitati, summa omnia inter se conjunxisti: sed ego nunc de miraculis loqui non possum. Tam sublimè fastigium si quis attigit, is felicius utique suo marte omnia, quam alienis adjumentis perficiet: sed reliquis, id est, plerisque omnibus, arte & regulis opus est: *Natura quippe, si absque disciplina sit, caca est;* (e) ut sapientissimus Plutarchus verissime monet.

Vides, Amice, quod Epistolarum genus difficillimum censem: quod cum & materiam habeat inventu difficillimam, & stylum haud quaquam vulgarem exposcat; utroque ex capite, ne aut ferpat, aut luxuriet, artem requirit. Age, Ruæe doctissime, calatum arripe, & ingenti hoc obsequio rempublicam literariam demerere. Scribe, quo juventur omnes: tolle commune hoc & gravissimum onus: cogita, tametsi magna res laboris est, nihil non mereri posteritatem.

A 5

EPI-

(e) Plutarch. l. de liberorum educatione,  
c. 3.

## EPISTOLA II.

*Quis sit finis gratulantium: libri bu-  
jus æconomia.*

**E**n meis me artibus captum! quod tibi  
suasi, tu in me rejicis, & Epistolæ  
Officiosæ Artem a me exposcis. Quid  
faciam? tibine ut negem aliquid? id qui-  
dem non magis fieri potest, quam ut tu  
Rueus esse desinas, aut ego tuus. Ita-  
que citra ambages, quod in rebus omni-  
bus primum attendi debet, hic quoque  
indagabo; quis sit finis ac scopus epi-  
stolæ illius, quam quærimus: frustra  
enim disputatur de via, quamdiu, quo  
sit eundum, nescitur. Historicæ Epi-  
stolæ finis est, rem gestam narrare:  
Oratoriæ persuadere; Philosophicæ do-  
cere; Officiosæ honorare, & honoran-  
do placere. Quicquid ad hunc finem  
conducit, bonum eit; quicquid illum  
impedit, pravum; quicquid ad illum  
non juvat, inutile. Hac regula me-  
tiendi sunt singuli Epistolæ apices, ne  
dicam verba & membra. haec si omit-  
tatur ex oculis, non jam scribitur, sed  
erratur. Id quidem neque dictu est,  
neque captu difficile: sed quibus eo me-  
diis perveniatur, non est fortasse tam

**E**xemplar expeditum ostendere. Ego, nequid er-  
artis pla- rem, rem hanc totam in exemplo venu-  
endi. stissimo tibi ponam ob oculos. Nostri  
opi-

Officiosæ  
Epistolæ  
finis est,  
honorare  
& placere.

opinor Germanum quendam Ruæum  
 (sed cave illi dixeris, quæ subjiciam:  
 est enim laudum suarum osor mirificus)  
 Eum inquam, ut puto, nosti, nomi-  
 nem placendi arte excellentissimum,  
 eamque ob caussam omnibus jucundum  
 carumque. Hujus ego mores sermones-  
 que diu contemplatus sum diligenter,  
 & quibus artibus clam hominum animos  
 expugnare soleat, & placere cunctis,  
 videor mihi perspexisse. Explorat ani-  
 mos omnium: indagat, quid quisque  
 probet, quid amet, quid speret. ea ille  
 in sermonem adducit ita, quasi omnes  
 alterius propensiones induerit. Blande  
 orditur, blandissime definit. Sine af-  
 fectione urbanus, sine sui abjectione  
 modestus, sine adulatioñis specie subti-  
 lis laudator est. tam suaviter gratias  
 agit, ut putas, accipere te beneficium,  
 non dedisse. tam modeste obsequia  
 defert, ut putas, dare te beneficium,  
 non accipere. Eloquentia pollet, quæ  
 cum sit artificiosissima, naturalis vide-  
 tur. Ludit ingenio, si cum ingeniosis  
 sermo est. idem, quoties tardiorem  
 quempiam naectus est, simplicitatem  
 miram præfrefert. Sed nihil in eo tam  
 divinum, quam quod nullum ei ver-  
 bum inutile excidit. plena sunt, con-  
 ferta, densa, quæcunque loquitur: ut  
 oraculorum ritu, cum dixerit omnia,  
 plura

plura semper cogitanda audienti relin-  
quat.

Piacetne tibi, Amice, hæc tabula?  
Mibi quidem certe ita decora, ita abso-  
luta videtur, ut nihil supra. Ex ea ita-  
que mutuabor colores, & in Epistolam  
Libri hu- transferam; quam tum demum censeo  
jus divi- fore perfectam, si ita scripta fuerit, ut  
fio. istum loqui dixi. Quod ut ordine exe-  
quar, Epistolæ Officiosæ Artem duabus  
ego partibus contineri credo, Rebus,  
& Verbis: primum enim videre oportet,  
quid scribendum sit; deinde, quo-  
modo. primum illud materia est, alte-  
rum stylus. Porro materia pro variiis  
Epistolæ partibus varia est. Alia enim  
Exordio, Propositioni alia, alia Epi-  
logo convenit. Potissimus labor, &  
penuria maxima in Epistolæ corpore est:  
quod, si nihil aliud res ipsa & caussa  
præsens suppeditaverit, duabus certe  
rebus impleri potest, laude, & actione  
gratiarum. Praeterea, si pluribus forte  
capitibus epistola constet, de nexu pro-  
spiciendum est, qui plura illa materiæ  
veluti membra in unum corpus conjun-  
gat. Denique, si quando non priores  
scribimus, sed scribenti alteri respon-  
demus; alia nonnihil ratione utendum  
est, multaque locum in rescribente ha-  
bent, quæ primo gratulanti convenire  
non

non possunt. Quæ singula, qui accurate trattaverit, & peculiares quibusque his partibus fontes, sc si fieri possit, commune aliquod illarum omnium promptuarium ostenderit: is difficultatem, quæ in materia reperienda est, mea quidem opinione exhauerit. Quanquam unum video supereffie dubium, num regulæ tantum illarum partium statuendæ sint an certæ etiam formulæ, veluti exempla quædam, proponendæ; etenim si nudæ duntaxat regulæ, ut plerumque Aristoteles in Rhetorica solet, propositæ fuerint; timeo, ne sicca nimis, saepe subobscura, nec ad præsentem usum satis idonea evadat totius rei tractatio: cum enim Artes facere doceant, non contemplari; exemplis carere tam parum possunt, quam ipse artifex instrumento. Rursum, si paratæ iam consequæque objiciantur ordiendi, grates dicendi, finiendi, ceteræque formulæ: verendum erit, ne, qui in eam Artem inciderint, decerptas inde simpliciter formulas has in suas literas transferant, & ridiculum quoddam textum confiant, pannis variis, mendicatis, non uno colore formaque constantibus, miserabili industria coagmentatum. Ingens tamen sublium formulæ sunt, non rudiori tantum ætati, cui nulla adminicula sunt nimia; sed viris quoque, quibus etiæ

expe-

experientia & prudentia adsit, commodissimur tamen est, habere, unde admonentur. Sufficiet ergo de propositis formulis monere adolescentes, ut apum instar, non harpyiarum, in illas involent: ne ex eorum sint numero, de quibus eleganter, ut solet, ad Paulum Cortesium scripsit Angelus Politianus (a): *Stylum, quasi panem, frustillatim mendicant.*

**Quæ ad  
Stylum.**

Materiam stylus sequatur, de quo vere dixeris, quot sunt capita, tot esse sententias; imo plures: non raro enim eidem homini, quæ heri probavit, hodie displicant. Recensenda sunt ergo styli genera omnia, Asiaticum, Laconicum, &c, quod medium inter illa obtinet, Atticum. dicendum, quid in stilo simplici, quid in ingenioso, quid in amœno, vel veræ pulcritudinis, vel fucatæ insit. Ne latinitas quidem negligenda est, vel ideo, quia turpiter multis negligitur. Ad ipsam ego orthographiam, & interpungendi leges descendere non dubitarim: quid enim istis vel magis necessarium scitu est, vel minus scitur? quod a Grammatico disci debuit, post emensa Academiarum curricula sœpissime ignoratur. Universæ autem præcipua styli regula esse debet pru-

(a) Politianus Epistol. I. 8.

prudens placendi cura. Sapienter enim eruditissimo Lipsio visa est Epistola *tum demum recte scripta*, *cum videtur illi, cui scripta* (b). quod si de omni epistola verum est; quanto magis de ista, in qua id unice quæritur, ut quam maximam a patrono amicove gratiam ineas? Quare, siquid illi displicere sciveris, et si ceteroqui haud malum; omittendum est scilicet: quia illi servis, non tibi. Si ad virum gravem scribam, argutiis infensum, & ab Ovidianis ludicris abhorrentem; stultusne sim, ut illo invito ingenium acuam, & meo me mucrone lædam! nam invisa obtrudere ornamenta ingenii, quid est aliud, quam senem in convivio cogere, ut repugnanti stomacho bellaria ingerat? *Multos tædet*, inquit facete vir doctus nostræ ætatis (c), *multos tædet rimari sensum, nisi palam in quadra positum*. Caponum segmenta locari in mensa cupiunt; deartuandi laborem fugiunt. Tales fatigandi non sunt, nec Laconico stylo excrucianti, si planum aperatumque desiderant. Vicissim, quæ vitiola sunt alibi, nonnunquam virtutis ocum obtinent, si ad ejus palatum faciant, cui gratulamur. Hac excusatione olim Cestius orationis suæ vitia defen- debat,

(b) Lipsius Institut. Epistol. c. 3.

(c) P. Franc. Lang. Epistol. familiar. Centur.

Epist. I.

debat, non ignarus, errare se; sed profuturum errorem præferens ingratæ ac inutili integritati. *Et ego*, reponebat reprehendentibus, *nunc scio, me ineptam sententiam dicere, multa autem dico, non quia mihi placent, sed quia audientibus placitura sunt* (d). Ut cunque hoc in oratione se habeat, cuius finis non placere est, sed persuadere; in Epistola certe nostra omne punctum tulit, qui placuit, qui buscunque non malis mediis id consecutus est: nam quæ publicæ luci destinantur, ita elaboranda sunt, ut non modo corrupto quorundam gustui serviant; sed acerrimi etiam censoris aciem non refugiant: at quæ privato unius conspectui subjiciuntur, si illi placuere satis est, ut saepe domestici coqui cibum mensæ inferunt, sibi ipsis haud quaquam gratum; quia domino sapit cui uni tum coquunt. Peccandum tamen nunquam est; quia id semper malum sed artem, cum res poscit, dissimulare vel in usum suum callide detorquere maximæ artis est.

*Artis humanissimæ utilitas* Ceterum, mi Ruæe, de Artis humanissimæ utilitas ita prorsus disputas, ut prudentia tua expectandum erat. Et enim profecto non molestissimum modo fed

(d) Narrat M. Seneca, Controvers. l. 4 controver. 29.

sed & turpissimum, rem nescire, cuius non tam frequentissimus, quam perpetuus usus est. Quis, nisi ferculno ingenio sit, infiditiam suam aliquoties annis singulis velit prodere, suoque testata in chirographo ad alios mittere irridendum? Atqui una epistola sufficit, ut scribentis scientia, urbanitas, prudenter, quanta est, tota simul in conspectum veniat: siquidem, ut verissime advertit Demetrius Phalereus, omnis quidem generis scripta, sed imprimis Epistolæ, auctorem referunt. Σχεδον γαρ, præstantis illius Critici verba sunt, εμοναι ἐκάστος της ἑαυτες Ψυχης γένεθλαι την επιστολην. Epistolam enim ferme ut effigiem quandam animi sui quilibet exarat. (e) Magni momenti est vel semel scripsisse ad peritum lectorem: experimentum quippe is inde capiet, unde vel magni te facere, et si ignotum ante, in omnem vitam incipiet; vel contemnere apud se, & in literatorum plebe, vel fæce etiam, numerare. Necessestas vero literarum hujusmodi, nostro quidem saeculo, evitari non potest; nisi foedam inhumanitatis notam, & Misanthropi nomen placeat. Istarum non minus, quam ceterarum literarum pernecessarius usus, ut minore.

(e) Demetr. Phaler. περὶ ἐργασίας, seu de Elocutione.

*minore jadura sc̄e numero aqua & igne, quam  
epistola & literis, hominum vita caritura vi-  
deatur: ut Joannes Voellus in ea epi-  
stola scripsit, qua suum de scribendis  
Epistolis librum Turnonio Comiti nun-  
cupavit. Imo addam majus aliquid.  
Ars, de qua agimus, non ad scribendas  
tantum epistolias valet; quod ipsum est  
utilitatis maximæ: sed in omni urbano  
colloquio, & imprimis gratulatione, lo-  
cum habet. Quoties vir primarius ad-  
eundus est, quoties officii caufa conve-  
niendus patronus; verba fuggeret ars  
ista, quibus blande captari benevolen-  
tia, & audientis animus velut aureo quo-  
dam vinculo, ut ab Hercule Gallico fa-  
ctum ajunt, devinciri possit. Est ergo  
ars placendi, ars vivendi, ars huma-  
nitatis: quam nemo tam erit barbarus  
ut odisse queat. negligere tamen eam  
poterunt duo hominum genera: qui hu-  
manitatem vel nullam volunt, vel sum-  
mam jam possident. Illos in Tartariam  
Canadam ve amando: istos in te, Ruæe  
cultissime, tanquam in epitomen col-  
lectos veneror, amoque in uno omnes.  
Tu arbiter esto ideæ, quam in Epistola  
hac veluti primis lineis designavi. Tibi  
ea si probabitur, felicem me archite-  
ctum credam: sin minus; sciam, me  
politissimo omnis elegantiæ artifici di-  
splicuisse.*

## EPISTOLA III.

### *De Exordio.*

**P**opulo imposuimus & Oratores visi sumus; scripsit olim ad Brutum Tullius. (a) ego dicere de me verius possum: amico imposuimus, & architecti visi sumus. Jacta sunt fundamenta, & tibi, Ruæe, probata. Pergere jubes, & attollere ædificium: quasi Aedilis meus Curiis sis. Ordinar ergo, & vestibulum primo construam, dum de Epistolæ Exordio agam.

Romanis veteribus solenne erat initium, si vales, bene est. Quod primis S.V.R.E. plerunque literis notabatur: *S. V. B. E.* Imitatus id est aliquando Christophorus Longolius, Galliarum Regis Orator: qui, ut erat Ciceronis studiosissimus, hunc etiam antiquitatis colorem ex eo traxit. Sed ista, sepulta pridem, excitare ab inferis velle, idem est, ac antiqua vestium genera revocare, quæ communi populorum consensu deposita, sine risu publico nunc resumi non possunt. De hodierno igitur Exordio quæ- Cur Exori in primis potest, sitne omnino nec- dio opus. farium. Equidein ut in Areopago Ath-  
 B 2 nienſi

(a) Cic. in fragmento Epistolæ ad M. Brutum: quod extat apud Fabium Quintilium, l. 3 Initit. Orator. c. 6.

nienſi interdicto cautum erat , ne Orationes exordium epilogumve haberent : ita inter familiares , cum nullus ornatus quæritur , fine ambagibus veniri in rem præsentem potest . In nostra autem Epistola , cui finis propositus est honore , non est irruendum illico : sed pulsandæ prius fores , & loquendi facultas petenda . Sternendā est quodammodo via , priusquam ad gratulandum progrediamur : & præfatione hac honor habendus ei , cui scribimus : ne contemni ſibi videatur , ſi veluti infalato ipſo , nondum fatis paratum & attendentem propositione noſtra obruarimus .

**Cogor non-** Unde autem , inquis , petendum Ex-nunquam ex-ordium ? Hoc jam ostendendum mihi . **empla de** Indicabo fontes præcipuos : adjiciam for-meo afferre. mulas ; alienis verbis , ſi habuerο ; meis , ſi aliena defecerint . Ut enim hoc ſemel dicam de formulis omnibus : tanta eſt in auctoribus gratulationum penuria , ut excuſis omnibus , non multa tamen exempla , & ea ipſa ex alieniſſimo ſæpe loco petita , afferre poſſim . Quare ignoſces mihi , huma-niſſime Ruæe , ſi meis etiam verbis uti exemplorum loco ſubinde audebo . Scio utique , & ſæpiſſime apud me cogi-tare ſoleo , arrogantis eſſe , exempla de ſuo

suo proponere : exempla enim, nisi omnibus numeris absoluta sint, exempla non sunt : talia autem qui credit sua esse, vel summus est, vel vanus. Ego igitur M. Tullium, C. Plinium, Aurelium Symmachum, Angelum Politianum, M. Antonium Murenum, Justum Lipsium, Erycium Puteanum, Franciscum Loredanum, Marsilium Ficinum, Cæsarem Scaligerum, Christophorum Longolium, Græcos veteres, & quotquot habeo alios, quoties potero, advocabo : sed si ex illis omnibus nihil fuerit reliquum ; noli obsecro superbiæ potius, quam ignorantiae id tribuere : idcirco enim tantum alienis abstineo, quia plura non scio. mea vero eo tantum fine propono, ut intelligar : imitandum enim si non dicam tibi, Ruæe, sed cuicunque hominum, me velim proponere ; non imprudentem modo, sed amentem me futurum agnosco.

Primus, ac præcipuus Exordii fons fontes est, qui ceterarum scriptiorum omnium, Exordii : res præsens. Optimus eloquentiae ma- e visceribus gister, quia eloquentiae princeps, Cicero <sup>caussæ</sup> ; ita de exordiis præcipit : *ex ipsis visceribus caussæ sumenda sunt* (b). Sic initium ducimus a persona vel nostra, vel ejus, ad quem literas damus ; a mutua necessitudine, acceptis beneficiis, vitæ con-

ditione ; saepe etiam a parentum majorumve amicitia & beneficiis. Ita filius ad patrem : *Suavissimum est amoris vinculum, sanctissimum pietatis : me utrumque ligat, & literas dare cogit amoris plenissimas : non solum, quia ad Parentem dulcissimum ; sed quia ad talem Parentem, quem omarem unice, et si Pater non esset. Sacerdos recens initiatus ad Patronum : Sacerdotii, quo initiatus sum, gradui proprium est, offerre hostiam. Duas ego hostias offero ; alteram DEO Divinam ; Patrono meo benignissimo alteram, vitem illam, sed qua meliorem non habeo, me ipsum.* Discipulus ad suum olim praeceptorem : *Ad quem justius redeant meae literae, quam ad eum, cuius beneficio literas didici ? Patruelis ad patruellem : Natura nos fratrum filios fecit, amor fratres : patrueli scribere pietas jubet ; amanti gratus animus, & mutuus amor.* Ad Patris sui potentem Patronum : *Quid mirum, si ceu filius Eum colam, sine quo vel non haberem patrem, vel non nisi miserum afflictumque haberem ? Patrem ergo mihi aliqui videor : quia non tenuitatem meam, sed benefiorum magnitudinem favoremque Patroni intueor.*

**Maxime  
ab eventu  
recenti.**

Præcipue vero opportunum est, si quid paulo ante contigit, unde arripi inchoandæ epistolæ occasio possit. Neque obstat rei parvitas : nam & altissi-

mæ

mæ in Libano cedri e minimo femine ortum habent. Sic Longolius : *Eadem mihi nunc ad te scribendi caussa est, quæ proxime fuit* (c). & alibi iisdem pæne verbis : *Quæ mihi ad te scribendi caussa nuper fuit, eadem certe nunc est* (d). Quod quidem leviter immutatum servire semper potest : si dicas, eandem tibi nunc scribendi caussam esse, quæ semper fuerit ; amicitiam veterem, officiorum memoriam, ceteraque. Sic ad fratrem post diuturnum silentium : *Dulcissimum Fratrem alloqui jucundum semper fuit, estque nunc post intervallum jucundius*. Sic, si forte epistola non tabellarii, sed communis amici manu tradetur : *Semper ego quidem libenter ad te, cognate venerande : sed nunquam libentius, quam-hodie : cum per eum tibi hominem epistola mea reddetur, qui pretium illi, si nullum habeat, addere ; si habeat, geminare possit*. E minimo saepe dicto, quod Patronus de nobis, quod alius quicunque de Patrono protulit, nascentur scribendi exordium. *Lætus & alacer scribo, quoties venerari licet Mecænam meum illustrissimum ac benignissimum ; sed lætior alacriorque solito hodie, cum novum propensi in me animi testimonium habeo. Audivi e fratre, quam honorifice, quam, si id sicut dicere, amanter de me sentiat magnus ille*

B 4

Daco-

(c) Longolius l. 1 epist. 10.

(d) Idem l. 3 epist. 16.

*Dacostius, cui placere votorum meorum omnium scopus est. Vel: vñio e doctorum hominum cætu, plenus gaudii, & scribendi ad te, Vir Eruditissime, desiderio gestiens. Qua de caufsa, rogas? Audivi laudes tuas, quas cæperam, ita ab aliis auditas, ita pro suo merito agnitas, ita ab omnibus certatim celebratas: ut ad meam lætitiam nihil deesset, nisi quod tu, quid alii de te sentirent, nescires. Quod scribi vere potest, si modo, illata ab uno præsentium honorifica de quopiam mentione, significant ceteri, sibi quoque illum in pretio esse. Infinitus fuerim, si persequi singula velim, quæ perspicax scripturi oculus in rebus dictu levibus deprehendit, ut aptum blandumque inde literarum exordium capiat. Ad fôntes alios pergo.*

Ab excusa.  
tione.

*Qui veretur, ne forte patronum offendere, nihil debet habere antiquius, quam ut primis epistolæ verbis lectoris animum mitiget, & culpam excusat. Si gravior error est, peculiari epistola purgandus erit: vel certe maxima literarum pars in hoc uno consumetur, gratulatione in pugnum contracta. Tunc ergo contis remisque, ut ajunt, laborabitur, ne ea suspicio adhaerefcat: & per omnes eloquentiae machinas extorquebitur patrono sinistra opinio. quod quibus argumentis fieri possit, dictabit pruden-*

prudentia; quibus figuris, & persuadendi arte, docebit Rhetorica. Nos de iis literis agimus, quarum præcipuum argumentum gratulatio est: in quibus non aliud fere, quam dilatæ scriptionis negligentia excusatur. Tritum hoc ordiendi genus, sed sœpe necessarium: hominibus etenim delicatis, & scribendi officium non raro vestigalis instar exigentibus, non mediocris injuriæ loco est, rariores, quam expectaverant, vel etiam tardiores tantum literas accepisse. Horum fastidium, quo magis est irritabile, eo placandum est diligentius; sœpe enim verbis pauculis emendare errorem possumus, in magna aliqui incommoda nostra erupturum. M. Antonius Muretus ita se purgat: *Etsi serius ad te scribo, quam oportuerat: spero tamen, te ejus rei veniam mihi daturum; cum, quæ tam diuturni silentii caufsa fuerit, cognoveris.* (e) Non est hoc acutum, fateor: sed naturalem quandam candorem habet, & Ciceronianæ imitationis sono gratum est. Franciscus Langius, Mureto longe, ut subtilitate superior, ita inferior simplicitate; hic tamen simpliciter, *Diu, inquit, debeo tibi literas* (f). Repte hoc ad eum, quem libera voce  
 B 5 allo,

(e) Muretus epist. 15.

(f) Langius Centur. I epist. 40.

alloqui licet: sic inter se amici pro suo jure scribunt. at superiorem ita compellare, vereor, ne non satis delicatum sit, ne nudum, & asperius, quam ut ambitiosas aures mulcere possit: multi enim eas cum Dionysio in pedibus habent, quibus nisi supplex accidas, placere non possis. Suavius est Lipsianum illud: *Diutius jam in scribendo ceſſavi, at non in amando.* (g) nisi quod, si multo inferiores sumus, amorem profiteri vix unquam licebit: magni etenim illi Dii adorari a clientibus suis volunt, non amari: vel si amari volunt, reverentiam audire, non amorem volunt.

## Ab usu.

Sæpe a consuetudine principium capitur, cum ostendimus, morem nos gerere communi usui, scribereque, cum omnes scribunt. Laudare possumus usum hunc, qui gratam memoriam alat, & patronis juxta, ac clientibus exceptandus sit: cum & illi videant, non esse a se male collocata beneficia: & isti favores novos merentur, dum veterum se recordari testantur. Sicui peculiaria beneficia in acceptis referimus, dicemus, scripturos non fuisse, et si id consuetudo nulla juberet, ulti nos imminere occasioni, qua debitum præstems obsequium. Tempus, universo orbi

(g) Justus Lipsius, Centur. I ad Belgas epist. I.

orbi Christiano lætum, nos quoque lætos velle transfigere testabimur : nihil autem habere lætius, quam eum aliqui, qui vinculis tam arctis nos sibi obstrinxerit. Huc pertinet illud Joannis Francisci Loredani, Nobilis Veneti : *In publico omnium ad te concursu, Domine Excellentissime, privatum ego meum obsequium defero (h).* Subtilis hic sensus est : insinuat enim, peculiari se præ aliis omnibus amore in amicum ferri, & quod semper magnum, communia non communi studio facere velle.

Suavissimum est ab amore exordium : **Ab amore.** qui si, ut dictum, aperte non potest ; tacite indicandus est, & reverentiæ pallio obtegendus. Amandi vero, ut artes, ita loquendi modi mille sunt ; nec numerari facilis possunt, quam ascendentes e foco flammæ. Si dico, gaudere me, quoties scribere patrono licet ; expectasse me avide tempus hoc : versari mihi ob oculos, quoties ad eum dem literas, vivam quamdam illius imaginem ; tandem me nactum esse occasionem diu exoptatam ; et si corpore absim, quotidianam tamen memoriam facere me illi præsentem ; quo de illius in me beneficiis cogitem saepius, eo me illa pluris facere : quis tam sit hebes, ut hanc

anno-

(b) Loredanus, Operum parte 6.

amoris linguam non intelligat? quis tam ferreus, ut non moveatur? Quam facile est, uno saepe molliore verbo conciliare sibi amicum perpetuum, & utilissimi patrocinii semina jacere! Ardentis amoris est, quod suavissimus in amicos Cicero cum alibi, tum libro duodecimo Epistolarum familiarium testatur, se nullum finem facere de amici rebus & commodis cogitandi. Quis amorem non videt in illo Longolii? *Utinam ejus effent generis meæ literæ, ut te, quemadmodum scribis, delectare possent* (i). Amorem etiam spirat fiducia: quæ, si absit temeritas, vel ostendit conjunctos animos, vel ipsa conjungit. Exemplum addo e. Q. Aurelio Symmacho, Consulari Viro, & Romanæ Urbis Praefecto: qui dignitatem suam styli nobilitate æquavit, & saepe a me nominabitur. *Utor, inquit ille, apud te fiducia, quam dedisti* (k).

A timore.

Oratoribus solenne est auspicari a metu, irriso pridem exordii genere, quia abjecto plerisque, nimisque jam trito. Idem in Epistola de iis dixerim, qui semper in Exordio metuant; nunc, ne patroni negotia turbent; alias, ne ineptis literis offendant potius, quam placeant. Hoc ego initium uti frequens esse non

velim

(i) Longol. l. I epist. 17.

(k) Symmachus l. I epist. 26.

velim: ita, si suo loco adhibeatur, haud-  
quaquam rejecerim. Est profecto, cum  
timere non imprudenter possumus, ne  
literæ nostræ, nisi quam verecundissime  
accederint, vultu parum læto excipian-  
tur. Non erit ergo inutile aliquando  
dicere: *Officio satisfacere cupio, & pœnae  
metu absterreor, ne major officio molestia sit:  
scio enim, me Virum alloqui, ut saluti pu-  
blicæ, ita perpetuis gravissimisque negotiis na-  
tum.* Vel: *Trepida manu scriberem, nisi  
scirem, te ut rebus aliis omnibus, ita beni-  
gnitate esse maximum.* Non repellis quen-  
quam, et si molestum: neminem despicias, et si  
indisertum. Jucundius ad amicum: *Pa-  
tetne aditus, laboriosissime hominum, ad mu-  
seum tuum? an per volumina, quibus obval-  
latus es, penetrare potest epistola tenuis?* Si  
stomacharis, ut facile soletis vos docti, en-  
quam sit mitis hæc pagina! lacerari se patien-  
ter feret, & abjici nondum lectam: modo vi-  
deas, scripsisse me. Vel: *Spondeo, brevis  
ero. Quidrides? hoc exordio ad te utendum  
est, quem templum, & libri, & forum, &  
amici, & sexcenta alia ita diripiunt, ut le-  
gendis literis superesse tempus vix possit.* Si  
stylo nostro metuimus: *Video quidem, quam  
sit difficile, coram homine doctissimo, eodem  
que eloquentissimo comparere: multo tamen  
malo, verba in me, quem officium desiderari.*  
Cavendum tamen, ne eos imitemur, qui  
oti in hoc uno sunt, ut scribant, ne-  
scire

scire se scribere. verissime id quidem de se ut plurimum prædicant : se tacentibus etiam ipsis, non erat periculum, ne lector id non videret. Sapienter notavit doctissimus, ut illis temporibus, Arvernorum Præfus, C. Sidonius Apollinaris : *Nimis deprecari ineptias ipsas est ineptissimum* (1).

**Ab eruditione, proverbio, similitudine.** **Eruditio Historica**, vel Poetica etiam, proverbia, similitudines, & similia splendoris exquisiti ornamenta, Epistolæ aditum non parum illustrant ; si modo affectatio absit, & obscuritas, & quidquid in argutiis universe peccatur. Magnificum vestibuli ornamentum sunt gæreæ marmoreæve statuæ : sed atria privatorum non decent. Multa usurpare doctus ad doctum poterit, quæ si scribat ad alium, cogetur is advocate interpres. Multi autem æquo animo ferre non possunt, si velut insultari videant inscitiae suæ. Quod si constet, placere margaritas eruditio patrono ; offerantur. Laudabo adolescentem pauperem, si ad opulentum doctumque patronum scripserit : *Cum Socrati multa multi offerrent, accessit & pauper Aeschines, cum dicto : DONO TIBI, QUOD UNUM HABEO, ME IPSUM. Quid aliud ego dicere Meccenati meo clementissimo possum?* Agno-

(1) Sidonius l. 9 epist. 3.

Agnoscit vir doctus, cum hæc legerit,  
 Senecæ verba (m): gaudebitque, videre  
 se in epistola juvenis, quod ipse fortassis  
 non nisi post lustrorum plurium lectionem deprehendit. Imo, si Diogenem  
 Laertium legerit, recordabitur, quanti facere hoc munus debeat, quod  
 tanti sapientissimus Socrates fecit. *Αρχὺς δὲ εἰποντος, πλευρές εἴμι, καὶ αλλό μεν γένεν εχω, διδώμι δὲ σοι εμοντον.*  
*Ἄρε βού, εἰπεν, εκ τιθανη τα μεγίσταροι διδόσει;* Cum Æschines pauperem se esse diceret, Et, quod nihil haberet aliud, semetipsum offerret: quid tu? inquit: nonne sentis, rem a te maximam mihi donari? Poeticum fuerit, si quis ad Resurgentis Domini ferias ita ludat: *Siquidem Poetæ ad summam venustatis laudem volunt attollere, ex ovo produisse videntur.* Utinam Epistola mea, quam velut Paschale ovum offero, tam esset venusta, tam omnibus numeris absoluta: ut non tam de ovo scripta, quam ex ovo prodisse, dici merito posset. Proverbium ita usurparim: *Aquam nautisti, fontem corona.* ita jubet Gracum Proverbium; imo ita natura. *Corona fontem meum; sed inutilibus tantum verborum horibus: quorum toco utinam fructus reddere, res ipsas, quas precor, possem.* Eundem

(m) L. Annæus Seneca, l. 1 de Beneficiis, c. 8.

(n) Diogenes Laertius l. 2 in Socrate.

dem fere sensum similitudo reddit, & ipsa ab aquis petita: *Quiescere non possunt fluvii, dum ad mare, unde aquam habent, redeant, eique se totos reddiderint. Et quiescere ego possim, priusquam ei, a quo fluxerunt mea omnia, totum, quantus sum, me reddam & consecrem.*

**Ex abrupto.** Est & aliud Exordii genus, vehemens, & ex abrupto, ut vocant, dunctum: cum scribebentis animus, ingenti quodam motu occupatus, in subitarium aliquid & inexpectatum erumpit. Sic Muretus exclamat: *O præclaram epistolam tuam (o)!* Et ipse Tullius: *Itane? prater litigatores nemo ad te meas literas (p)?* Sed hoc in respondentे potius, quam primo salutante, locum habet: certe a gratalente, quem vehementer commotum esse non adeo saepe contingit, non nisi perquam caute faciendum est: ne furiosum hominis speciem, & saepe parum urbanum referat, dumque placere vult, ridiculus fiat. Nam & Epistolæ quadrat quod de Oratione sacra scripsit Amadeus Bajocensis, vir eruditus e D. Francisci Capuccinorum familia: *Prudentia in eo summa debet adhiberi, ut scilicet ad omnino rerum ac personarum circumstantias accoll*

(o) Muretus epist. 9.

(p) Cic. epist. familiar. l. 12 epist. 30.

*accommodetur; alioquin non modo abruptum erit, sed absurdum* (q).

Quæ si omnia inter se conferamus, patebit, nullum esse exordium melius, naturalius, candidius; quam quod ex te nata & visceribus caussæ derivatur. In formulis vero, quæ per artem quæruntur, & ephippiorum ritu communiter omnibus quadrant; præter alia, id etiam ineſt incommodi, quod facile evenire potest, ut eadem exordii forma saepius, etiam ad eundem, memoria fallente utamur. Cujus rei exemplum memorabile est ipſe eloquentiæ parens Tullius. juvat ipsum audire, ita de re gesta ad Atticum suum familiari stylo scribentem: *De gloria librum ad te misi, & in eo proæmrium id est, quod in Academico tertio. id evenit ob eam rem, quod habeo volumen proæmiorum: ex eo eligere soleo, cum aliquod συγγενῆ institui.* Itaque jam in Tæculano, qui non meminisse me abusum isto proæmio, conjeci in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum proæmrium exaravi, & tibi misi. illud desecabis, & hoc agglutinabis (r).

## Plura

(q) Amadæus Bajoc. in Paulo Ecclesiaste, P. i l. 3 c. 2.

(r) Cicero l. 16 ad Atticum, epist. 3.

Plura dici poterant : sed ostendere Exordii fontes volui , non exaurire. Plures tamen indicavi , quod sciam , solere multos , ut in Orationibus sacris , ita & in Epistola difficultate maxima labrare , dum exordium aptum inveniant. Tuum est , Ruæe prudentissime , siquid addendum , demendum , mutandum censueris , commonefacere me , ac de curuli sella tua ( Ædilem enim meum te meminisse debes ) pro potestate edicere , quid in vestibulo hoc meo tibi parum probetur.

## EPISTOLA IV.

*De Propositione.*

**G**aude , Ruæe : paucissimis te absolvam. Quid ita ? De Propositione scribendum est : illa autem eadem semper est. Gratulor , Precor bona omnia. Scio hoc , inquis. Bene habet : scis ergo , quid dici de Propositione possit. absolvi Epistolam. Vale.

Quid stomacharis ? non tibi placet modus hic Laconicus ? Audire præcepta vis. Ego gaudendum potius reor , quoties illis opus non est. Ergo modos faltem indica variandæ Propositionis , siquos habes. Si stomachari desinis , habeo : si pergis irasci , ne hos quidem dicam.

dicam. Sed extra jocum , Propositionis artificium totum eo recidit , ne antiqua semper crambe repetatur : cum enim ioto eam contineri semper necesse sit, id unum quæri potest , quot modis exponi id votum possit : ut ea , quæ semper delectat , & sine qua nihil delecat , varietas obtineatur. Quatuor ego modos invenio ; ordinarium , patheticum , grandem , ingeniosum.

Modum Propositionis ordinarium appello , cum diem , cuius causa scribimus , patrono felicem precamur. Multa sunt , quæ ut patrono eveniant , optare possumus : eorum pleraque complexus est suavis facilisque poeta , Angelinus Gazæus , in eo carmine , quod *Vota amico facta* inscripsit (a). Scazon ejus lenissimus ita habet.

*Tibi quod optas & quod opto , dant Divi  
(Sol optimorum in optimis amicorum)*

*Ut anima semper lœta nesciat curas ,  
Ut vita semper viva nesciat canos ,  
Ut dextra semper larga nesciat frides ,  
Ut bursa semper plena nesciat rugas ,  
Ut lingua semper vera nesciat lapsum ,  
Ut verba semper blanda nesciant rixas ,  
Ut facta semper æqua nesciant fucum ,  
Ut fama semper pura nesciat probrum ,*

C 2

Ut

(a) Gazæus in Pius Hilar.

*Ut vota semper alta nesciant terras,  
Tibi quod optas & quod opto, dent Divi.*

Effigies hæc est viri boni ac felicis, quam tamen totam nec omnes, nec omnibus mittere ausint: nam, ut fileam alia, quis viro gravi precetur, ut *lingua illi semper vera* sit, id est, ut nunquam utatur mendaciis? quis homini paupertatem professo, aut Mecœnati præpotenti bursam rugis carentem voveat? aut quis discipulus Magistro optet, ne cum suis rixetur? Quid si ista omnia Candidatus quispiam ad Amplissimum aliquem Præfulem scribat? nonne *tribus Anticyris caput insanabile* videbitur circumferre? Adeo verum est, esse modum in rebus certosque *fines*,

*Quos ultra citraque nequit confisterereditum.*  
Quod venustissimum est suo loco, turpissimum fiet, si, quo non decet, transtuleris: ut colores, qui in pavonis cauda reluent magnificentissime, in humano vultu ridiculi forent, & certissimum insanientis indicium. Sunt tamen, quæ precari omnibus liceat, ut DEI favorem, & bona illa cælestia, quæ quemadmodum omnibus sunt necessaria, & infimorum quoque precibus impetrari possunt: ita optari illa sibi nemo sine impio fastu indignetur. Summis his bonis proxima sunt, quæ a plerisque & ipfa

ipsa nuncupantur bona, cum sint inter bonum malumque media: vitam dico, sanitatem, famam, tranquillitatem, commoda, & uno verbo felicitatem: quod quidem vocabulum & superiora illa, & ista inferiora complectitur. Hæc qui precatur, ordinarium Propositionis modum servat: qui tamen ipse, ne abjectus sit, condiendus est venustate quadam, nec sine omni cultu nuda illa felicitas objicienda. Venuste Langius: *Novo cum anno nova bona tibi voveo, mi Orone* (b). Ornatussimus Plinius Trajano Cæsari diem natalem sic gratulatur: *Opto, Domine, & hunc natalem, & plurimos alios, quam felicissimos agas* (c). En ut vir callidus, ingenii pæne ad vitium usque alioqui amator, hic tamen simplicitatem affectat, & mira candoris specie artem occultat: ut & Trajani stylum, qui naturalis & apertns est, imitetur: & loqui quam sincerissime videatur. Non tamen venustatem omnem exuit: sed oppositione illa bimembri, ac sequenti utriusque membra junctura, per dissimulatam artem blanditur. quod vel oculis deprehendi potest, si ita periodum dividamus:

C 3

*Opto,*

(b) P. Lang. Centur. 2 epist. 27.

(c) Plinius junior, l. 10 epist. 89.

Opto, Domine,  
 et                  et  
 |                  |  
 hunc      plurimos  
 |  
 natalem      alios,  
 |  
 quam felicissimos agas.

**Pathetica.** Propositionem ordinariam longissime superat pathetica, quæ tenerum animi motum, benevolentiam, amorem spirat. M. Tullius, ut est ad amicos blandissimus, ad Appium Balbum, *Gratulor tibi*, ait, *mi Balbe, vereque gratulor.* (b) Si Balbus ille in hoc gratulandi modo, in hac tanta gaudentis amici exultatione, addictissimum sibi animum non agnovit,

*Illi robur, & æs triplex*

*Circa pectus erat.*

Symmachus inquit: *Non meditabor nova verba, non excogitabo sententias* (e). proprium hoc est hominis, quem animi motus occupavit penitus, & absorpsit. ille enim exclamat: *Non sum sollicitus quibus verbis utar: id unum cogito, cui scribam, quantumque boni precari tibi hic animus debeat, tot nominibus tuus.* Quis non serio loqui credat eum, qui ita loquitur? Alibi idem Symmachus ita habet: *Pauca, inquit, salutantis verba sunt, sed vota prolixia.*

(d) Cic. l. 6 Epist. famil. epist. 12.

(c) Symmachus l. 3 epist. 20.

*prolixia* (f). Hæc ars est affectuum, plusquam dicunt, dicere; & non minus movere per id quod reticent, quam quod loquuntur. Multa hujusmodi dicit animus, vero amore aut Reverentia plenus. Sicui gratulandum est frigido pectore, pigmenta quæro: at si Ruæo meo, charta nre prius, quam verba deficiant. quis enim nescit, non esse in igne mirum, si se prodat; sed si lateat? Tunc ego facile icribam: *Idem tibi precor, quod multi; sed animo, quo non multi, ne dicam, quo nemo.* tunc interrogabo: *Quid precabor autem? quæ quisque optimis, quæ cuique optimi.* Tunc dicam: *Ea omnia precor, quæ si verbis explicare omnia possem, parum te amarem.* dicam: *Utinam dare possem, non precari! sed quoniam plus non licet, precor, quidquid tua in me summa officia, quidquid meus in te summus amor precari jubent.* Vim mihi cogor inferre, ne finem non faciam. Id unum addo, nunquam defuturos eloquendi modos, si loqui ferio velit animus.

*Verbaque provijam rem non invita sequentur. (g)*

Quemadmodum pathetica Propositio benevolentiam, ita grandis admirationem

(f) Idem l. 7 epist. 128.

(g) Horatius in Arta Poetica.

tionem excitat in legente. Est autem grandis, quæ sublimem sensum continet, & excelsa quadam imagine legentis animum implet. *Natalitus Evergetes*, scribit Langius, *bene velit clienti suo* (h). Grande hoc est: cum enim Superis nihil sit sublimius, majestate plenissima est gratulatio hominis, qui ipsos sibi Cælestes velut substituit, & in amici obsequium evocat. Sublime etiam est tollere se supra ceteros omnes, & plus illis precari. Faciet hoc, si quis dixerit: *Propositum est mihi, vincere omnium vota.* *Itaque, quantum precuti sunt singuli, repeto:* & quidquid precari amplius potuissent, adjicio. *Singulorum vota in unum cumulum colligo, & addo mea.* Neque minus grande est, si Propositio magnifice de patrono loquatur: ut si ad magnæ dignitatis virum scribam: *Solent alii annos patronis precari: ego contra Patronum meum Excellens annis preeor.* Non tibi dant felicitatem tempora, sed a te accipiunt: ut, si gratulandum est, ipsi potius anno gratulandum sit, qui sub Magistratu tanto felix omnibus & exoptandus futurus est. Sed hi sunt cothurni Herculis, non nisi hominibus vere magnis aptandi: pusilos enim non ornant, sed onerant, & ridiculos faciunt.

Ulti-

(h) P. Lang. Centur. 2 epist. 97.

Ultimam posui Propositionem ingenio-  
niosam, quæ ab eruditione, similitudi-  
ne, patroni dignitate aut nomine, pe-  
culiaribus circumstantiis, inexpectato  
denique ac novo proponendi modo pe-  
titur. Qua in re nihil magis cavendum,  
quam ne, dum ingenium quæritur, in  
puerilem affectationem, aut lusum fri-  
gidum deflectatur. Siquem Poesi de-  
lectari sciamus, non erit ineptum scri-  
bere: *Quo autem voto apud te utar, Domi-  
ne, nisi poetico? Precor ergo, ut annus hic  
novus tibi Amaltheæ Cornu sit, qui omne in  
te honorum genus e sinu inexhausto profundat.*  
Ab eruditione historica: *Cæsares olim  
Fortunæ simulacrum aureum in conclavi ser-  
vabant. Hanc tu fortunam auream ut domi  
habeas hoc anno, precor.* A dicto veteri:  
*Quod Celso Albinovano Horatius, idem ego  
amicus precor: GAUDERE, ET BENE  
REM GERERE.* altero fiet, ne grave  
sit illi quidquam; altero, ne ipse sibi. Ho-  
ratii versus in Epistolis est:

*Celso gaudere, & bene rem gerere Al-  
binovano (i).*

A similitudine: *Ut superis non nisi turis  
grana aliquot, & pia vota offerre humana  
tenuitas potest: ita nil ego Patrono meo Ma-  
ximo, præter exiguum hunc scribendi hono-  
rem, piaque vota, quod mittam, habeo.*

C 5

A digni-

(i) Horati s. l. i. Epistol.

A dignitate , ad ardēntem animarum Pastorem : *Scio , scio , quid precari possim gratissimum , animarum fructum.* A nomine ita Lipsius ad Eminentissimum Ascanium Columnam : *DEUM rogo , te inter vere columnas & fulcra Christianæ Reipublicæ servet* (k). A singulari circumstantia , ad Augustissimum gloriosissimumque Cæsarem CAROLUM VI. cum hærede careret , scripsi alieno nomine : *Voveo , quod vovet Orbis Austriaco nomini deditus universus : aut Prolem PATRIS similem , aut PATRI immortalitatem* (l). Denique a modo inexpectato : *Non vota mitto , sed augurium : non precor , ut felix hic annus sit ; sed talem fore vaticinor.*

Proposi-  
tio fuit ex  
Exordio.

Sæpe tac-  
ta est , non  
distincta.

Duo supersunt , quæ de Propositione non videntur silenda. Alterum est , sæpiissime illam sponte ex ipso Exordio fluere , neque adminiculis operosioribus indigere. alterum , sæpe eandem Epistolæ corpori ita intexi , ut nescias , an Exordio , an Confirmationi inserta sit : fere ut oratorum veterum propositiones non peculiarem quandam periodum efficiebant , aut eminentis tituli instar e reliquo orationis corpore extabant. Quod quoniam natura ipsa pro re nata docere

(k) Lipsius Centur. I ad Belgas , epist. 43.

(l) In Dedicatione Libri de natura & proprie-  
tatis aeris.

docere debet , exemplis supersedeo.  
nam & alioqui lassatum te , Ruæe , opinor , quem per insuetum iter , nec præcedentium vestigiis tritum , inclementer rapui. Non tamen veniam peto , scio enim , non fieri volenti injuriam.

## EPISTOLA V.

*De Laudibus.*

**N**ondum discedo a sententia. Epistolæ officiosæ corpus , ac veluti œconomiam totam , duabus tantum rebus constare etiam nunc opinor , Laude , & Gratiarum Actione. Quod de Amore me admones , ne illius obliviscar : gratias habeo sollicitudini tuæ , mi Rnæe. Erit , ne dubita , & amori locus ; maxime , dum ad te. Sed in officiosæ epistolæ corpus aperta fronte inducere amorem non audeo : quia , cum ejus finis sit honorare ; amor autem non honoris genus fit , sed ad æqualitatem potius aspiret ; non satis video , quo jure illum in regno hoc locare possim. De Laudare laude igitur ut differam , fateor libere , nunquam me in argumento difficiliore versatum. *Difficile est* , ait Renatus Rapinus , *Difficile est , laudare ut par est* (a). Imo

Laudare  
difficilli-  
mum est.

(a) Rapinus animadversionum in eloquentiam  
P. 2 animadv. ultima.

Imo alibi, neque difficilius, inquit, quiaquam est, quam laudare: & plerumque illa scribendi audacia laudantem simul & laudatum exponit risui, quia laus est mala (b). Ita Rapinus, cuius summa apud me est auctoritas: ita natura ipsa clamat, cuius interpres prudentissimus fuit Rapinus. Quid enim difficilius, quam humanam ambitionem satiare laudando, neque tamen veritatem offendere? Mediocres sunt plerique mortalium: iidem tamen mediocri laude tantum abest ut sint contenti, ut ea laedi etiam se & abjici putent, meritaque sua non in eo, quo par est, honore esse. Nihil ergo tutius, quam a laudando penitus abstinere: sed hoc ipsum est, quod in officiosa epistola fieri nullo pacto potest. Gratulari enim sine ulla laude, quemadmodum officii est, non voluntatis addictæ: ita grates quidem meretur, amorem non impetrat. Totus sum in erudit Balbini sententia, qui laudem non in primis epistolæ dotibus, sed primam omnium ponit, his verbis: *potissimum gratiose laudandus est amicus: aperte, si simplicior est; si doctior, tum id faciendum occultius: nemo facile est, qui laudari non velit, & quamvis inutili mendacio semper irascimur, tamen eos, qui laudes*

Necessarium tamen.  
men.

(b) Idem animadvers. in Poeticam P. 2 animadv. 14.

*des nostras mentiuntur, toleramus* (c). Nulla est machina, quæ hominum animos jucundius, facilius, potentius flectat. Laus placat iratos, ignotis amorem inspirat, amicitiam conservat augetque. Plerique omnes, si verum fateri vellet, idem cogerentur dicere, quod olim de se Themistocles: qui cum esset rogatus, quid audiendo maxime omnium delectaretur: respondit, si de suis laudibus quam optime diceretur. Quis autem renuat tam obvio medio hominum sibi animos conciliare? munera dare non omnium est: laudandi humitas scribentem simul & laudatum perfundit paribili gaudio, & cum alteri multum videatur tribuere, nihil tamen alteri adimit. Idem homines, quod Superos movet: nam & horum, & illorum gratia iniri levissimo pretio, imo nullo potest, si modo lingua uti scias. quod venuste significavit ille apud dulcissimum Xenophontem, qui gloriatus, habere se Deos amicos; interrogatusque a Socrate, quo pacto eorum sibi amicitiam conservaret; acute reposuit: *Vili admodum: laudo enim illos, nullis sumptibus factis* (d). Recte proin Antonius Possevinus, librorum helluo, in Biblio-

(c) Bohuslaus Balbinus, in verisimilibus humanorum disciplinarum, c. 2.

(d) Xenophon in Convivio.

bibliotheca sua (e) inter præcipuas epistolæ dotes numerat *benevolentiae illud*, ut sic dicam, *saccharum*: quo videlicet quidquid aspergitur, et si minus fit aliquando sanum, semper tamen dulce. Quo in genere, subjungit, *Cicero unicus, & unice initandus*. Verissime hoc Possevinus e Lipsio scripsit de M. Tullio, in cuius ad amicos epistolis tantus inest candor, tam sincerus amor, tam promptum obsequium, tam benevola amicorum laus: ut, quidquid summus ille vir in officiis & Lælio suo de amicitia scripsit, id omne ab eo amicis cumulate præstitum ex epistolis perspiciatur. Nobis tamen, cum gratulabimur, admirari Ciceronem potius, quam imitari licebit: ille enim vir Consularis, Patriæ Pater, Imperator, superiorem, cui scriberet, non habebat: nos autem, quem honoramus gratulando, hoc ipso honoris genere superiore fatemur. Certe non ita nobis licet patronum laudare, ut Brutum aut Cassum, Lentulum aut Cæsarem, ceterosque laudavit magnus Cicero, cuius vox Romæ oraculi instar adorabatur.

Quod

(c) Anton. Possevinus, Bibliothecæ I. 18. c. 14.  
Totum autem locum ad verbum mutuatum  
est e Justi Lipsii Institutione Epistolica,  
c. 9.

Quod ergo laudis genus epistolæ officiæ congruit? Dicam, Ruæe. Statuamus imprimis cum perspicacissimo Buhursio, tria esse laudum genera; falsum, laus falsa,  
craffum, decorum. Laus craffa non quidem craffa, de-  
merita superat, & turpi mendacio fordet. Laus craffa non quidem fal-  
sum prædicat, sed sine circuitu, elogiorum calathos in os laudati effundit, &  
impudenter honorat. Laus decora non  
vera tantum affert, sed modo etiam tam delicato, ut nec laudatum, nec laudantem erubescere cogat. Falsa laus instar habet contumeliam: illudit enim cæco, qui eum a perspicacia laudat; Thersitæ, qui a pulcritudine. præterquam quod mentiri fecerunt, est, & mentiendo adulari abjectissimum. De craffa laude nemo melius Buhursio censuit: *Crassam laudem, et si verissimam, pro injuria accipiunt viri cordati* (f). quam enim omnes laudari natura appetunt, tam nolunt laudum appetentes videri: si ergo tam aperta illis laus offeratur, quid aliud apud se cogitare possunt, quam se a laudante laudis avidos vanosque homines reputari? Sapienter proin monet Rochus Perusinus: *Illud cendum est, ne laudatio in adulationis vitium, aut suspicionem incidat: tunc enim insuavis solet*

(f) Dominicus Bouhours in Methodo recte cogitandi, Dialogo 2.

*solet esse, cum illis quibus scribimus, tum aliis* (g). In quem Perusini locum Jacobus Pontanus: *Non ab epistola modo, verum ab omni quoque cogitatione nostra abesse debet assentatio, quæ libero & ingenuo homine prorsus indigna est.* (h) Supereft ergo laus illa decora, quæ ita blanditur, ut nulla ex parte lædat. *Laus falsa laudatum ludibrio exponit, crassa pudore onerat, decora vanitati juxta ac modestice consuit:* ut summo judicio, magnus, quem dixi, e Gallia Criticus Buhursius pronunciavit (i).

Hanc ipsam vero tam subtilem, tam delicatam laudem ad præcepta revocare num licebit? Refugi semper hunc scopulum, nobilissime Ruæe, nunc tuo imperio cum eo dirigendus sit cursus, subibo quam cautissime, & fortunam tentabo. Tres mihi videor laudandi venuste vias posse distinguere: laudibus enim afficere licet, vel non laudando; vel disimulanter laudando; vel candide laudando. Illustro singula.

**Lauda-** Laudamus sœpe, cum non laudamus; **mus non** vel potius, cum nos laudare nolle dici-  
**laudando.** mus. Id duobus modis contingit: aliquando enim abstinemus omnino a lau-  
dibus:

(g) Rochus Perusinus, de scribend. epift. c. 25.

(h) Pontanus in Notis ad dictum Perusini locum.

(i) Bouhours loco, quo supra.

dibus : alias inchoatas abrumpimus. Utriusque exempla subjicio. Eloquentissimus Doctor Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum Praefulem, *Laudare te*, scribit, *vereor*, *ne assentandi crimen incurram*. Aurelius Symmachus, cum laudis mentionem fecisset, ita pergit : *Si juste persequar* ( laudem videlicet, de qua dixerat ) *ero proximus blandienti* (k). Delicate Hieronymus, delicatus Symmachus. ille adulationis vitium aperte nominat : iste blandientis nomine, quod multo est mollius, utitur. ille crimen incurrere metuit : iste, et si omnia justo elogio persequatur, nondum tamen blanditurum se fore, sed proximum duntaxat blandienti. ille laudari posse Theophilum indicat : iste tot laudes in suo reperiri insinuat, ut prolixii elogii ( hoc enim est *juste persequi* ) materiam subministrent. uterque tamen paris est subtilitatis in eo, quod laudandi periculum subterfugit, honorem tamen & dulcedinem non omittit. Idem Symmachus ad Agorium scribens, cum ejus laudes exorsus esset, sic eas abrumpit : *Mihi magnopere convenit ita meminisse gloriæ tuæ, ne verecundiaæ oblitus existimer* (l). Alibi vero : *Et nisi verecundia tua verbis meis*

D

(k) Symmachus lib. i epist. 25.

(l) Idem lib. i epist. 55.

*meis poneret modum, latius evagarer. Atque ideo erit de hoc sermo interim parcus, memoria vero prolixior (m). Lipsius a coeptis cuiuspiam laudibus ita resilit: Sed fileo, & modestia ejus, ac contemptus vel odium potius gloriæ, os mihi frænant. Vincit haud dubie Symmachum Lipsius, dum jungit modestiæ contemptum gloriæ, eoque ipso nondum contentus odium addit. Memoria vero, quam spondet Symmachus, non ad laudem quidem pertinet: amorem tamen subtilissimum & tenerimum spirat. Non hic filebo modum reticendæ laudis alium, qui non a laudati modestia, ut vulgo fit; sed a scribentis reverentia ducitur: quod mihi, si ad magnæ dignitatis hominem scribitur, perquam appositum ac blandum videtur. Uſus hoc modo sum ad Serenissimum Principem FURSTEM-BERGIUM, cum ita ad eum totius Sodalitii nomine scriberem: O quantum campum ingressa est Epistola nostra, SERENISSIME PRINCEPS! abiret illa in Panegyricum, si pergeremus. Scimus, quam graviter in debitum tanto fastigio reverentiam peccaremus, si de Tuis laudibus, SERENISSIME DOMINE, ad Te ipsum scribere auderemus. Existimavi, longe profundioris hoc esse veneratio- nis indicium, quam si Principis tantum mode-*

(m) Symmachus lib. 1 epist. 103.

modestiae me parcere professus essem : celsissimo enim in culmine collocatur ille, cuius laudes ne attingere quidem nos audere testamur.

Difficilioris haud paulo artificii est Laudamus laudare dissimulanter. Cuniculis hic opus difficiu-  
est, & obliquis anfractibus : quorum lanter,  
aliquos detegamus. Et primum quidem sub amoris  
hic mihi occurrit is ipse Amor, cuius pallio ;  
ne obliviscerer, tu me, Ruæe suavissime,  
monitum voluisti. Cum enim nil nisi  
quod bonum nobis videatur, amare pos-  
simus : insigne quoddam bonum in eo  
inesse tacite significamus, quem amari a  
nobis innuimus. Hujus generis est, quod  
ad Muretum scribit Paulus Sacratus :  
*Imago tua ante oculos mihi obversatur :*  
*nihil ago aut trasto, quin testis ad sis.* Fieri  
non potest, ut memoriam tam assiduam  
conservemus hominis, quem non maxi-  
mi faciamus. Huc & illa pertinent,  
delectari nos non modo recordatione  
amici creberrima, sed & frequentibus  
de eo sermonibus ; de illius nos gloria  
& felicitate non minus quam nostra  
gaudere, dolere de molestiis ; non co-  
ram notis tantum, sed & ignotis solere  
de illo, quæ admiremur in eo, amemus-  
que, prædicare, *Animus*, inquit Lipsius,  
*Ja pe ad vos revisit, & vix avello hærentem.*  
D. Ambrosius vero ad Gratianum Au-

gustum: tuum quotidianum iter legebam,  
nocte ac die in tuis castris cura & sensu loca-  
tus, orationum excubias prætendebam, etsi  
invalidus merito, sed affectu sedulus (n).  
Quæ verba quamquam latinitatem Tullianam non referunt, sollicitudinem  
tamen ingentem, & amorem reverentiae  
mixtum clarissime indicant. Ex eodem  
fonte manat desiderium, quo in amici  
scripta ferimur, iisque relegendis satiari  
nos non posse testamur. Elegantissime,  
ut solet, Cæcilius Plinius ad uxorem  
Calphurniam: *Epistolas tuas leđito, atque  
identidem in manus quasi novas sumo: sed eo  
magis ad desiderium tui accendor. Nam  
cujus literæ tantum habent suavitatis, hujus  
sermonibus quantum dulcedinis inest?* Tu  
tamen frequentissime scribe, licet hoc ita me  
deleat, ut torqueat. Vale. (o) Quid mel-  
litis his verbis potest fieri subtilius, sua-  
aut reye vius, honorificentius? Ab Amore ad  
rentiae; Rereuentiam transeo, quæ & ipsa est  
tacitæ laudis genus: ut enim non ama-  
mus, nisi quod bonum; ita non reve-  
remur, nisi quod sublime est. Lauda-  
bimus ergo, cum dicemus; idem nos,  
quod DEO offerimus, Patrono deferre,  
honorem & reverentiam; cupere nos  
uti consiliis ejus, & sapientia regi;  
optare, ut præsentibus spectare liceat  
amici

(n) D. Ambrosius lib. 5 Epistolarum.

(o) Plinius lib. 6 epist. 7.

amici exempla, & ab ejus tanta illa huma-  
nitate, prudentia, scientiaque formari.  
Laudavit Cicere D. Brutum, cum summo  
studio se curaturum recepit, quidquid ad  
conservandam amplificandamque digni-  
tatem ejus pertinere intellexisset. *quod  
quanquam intelligo, inquit, me cum multis esse  
facturum: tamen appetam hujus rei principa-  
tum* (p). Verum hoc polliceri non  
est cujusvis: semper tamen licet pro-  
mittere aliquid, bonum animum saltem.  
Laudavit Scaligerum patrem Jacobus  
Omphalius, cum dixit: *Cupiebam enim,  
pro mea summa & perpetua in te veneratione,  
studia tibi mea omnia probari.* Quo seusu  
dicere licebit: *Blandior nonnunquam ipse  
mihi, & esse mihi aliquid videor; quoties, a  
quanto viro non sim contemptus, mecum  
recogito. contemptus autem? audebo di-  
cere, laudatus; & fortasse amatus.* Velita:  
*Quæ enim potest esse oblectatio dignior inge-  
nui hominis animo, quam illi se carum vi-  
dere, quem nemo non admiratur?* Vel:  
*Una res me saepe perturbat, eadem illa,  
quæ summo mihi alioqui est gaudio, tua in  
me benevolentia: vereor enim, ne propter  
meritorum meorum egestatem tuo de me  
judicio satisfacere nequeam.* Laudavit de-  
nique Julius Cæsar Scaliger, verbis illis  
in signi reverentia plenis: *Toto animo in  
hanc curam incumbam, ut te, & imiter*  
D 3 doctum,

(p) Cicero Epistol. famil. l. 11 epist. 6.

*doctum, & admirer sapientem, & colam  
pium* (q). Laudamus denique, quoties  
recepto more patrono nos commendam  
mus: nemo enim patrocinium alienum  
implorat, nisi cum & potentiam videt,  
quæ prodeesse sibi queat; & bonitatem,  
quæ velit.

per vo-  
tum,

jocum,

Quæ hactenus de tacita laude dixi,  
difficia non sunt ad imitandum: sed  
ingeniosiores quædam dissimulanter lau-  
dandi machinæ, uti sunt rarissimæ, ita  
invenire illas perarduum. Tria tantum  
exempla addo: fateor enim, plura mihi  
ad manum non esse. Primum ergo in  
Buhursii Methodo recte cogitandi (r) Poeta Gallicus sublimissimam laudem  
suo Regi tribuit, dum optare tantam  
videtur. Utinam, inquit, Asiæ, vete-  
rique Trojæ propiores essemus: ut appa-  
reret, Græci annis decem, an tu die-  
bus totidem plus effeceris. Ingeniosif-  
sum votum, quo & laudem totam  
proponit; neque tamen affirmare, sed  
dubitare videri vult. Modus alter  
Victuri est (s), de quo prudentissimus  
Criticorum Galliæ, Rapinus meus, ita  
inquit:

(q) Scaliger pater, epist. 44.

(r) Dialogo 3.

(s) Gallice *Voiture*: quem latine *Vetturium*  
aliqui; P. Wagner, interpres Buhursii,  
*Vetturium* dixerunt. Ipse V. *Victurum* se  
appellat, Operum P. i Epist. 199.

inquit: *Vidurus, quo delicatius ingenium posrema hæc secula non tulere, nunquam pane nisi jocando laudabat: & sane a multis retro temporibus nemo fuit illo hac in arte felicior* (t). Tertius, omniumq[ue]re longe vel alie-artificiosissimus est Virgilii modus, quem nam imitatur idem Rapinus summis, ut dignum est, ginet. laudibus ita extollit: *Nec subtilius ullus unquam mortalium a quoquam laudatus est, quam a Virgilio Augustus: non nisi per cuniculos, ut ita dicam, ad suam eum gloriam perducit Poeta. Nemo erat Romanorum paulo intelligentior, quin probe nosset, in pietate Aeneæ pietatem Augusti extolli a Virgilio, quippe cuius in Heroe suo proponit effigiem: qua in re vere affirmaveris, laudandi artificium nemini unquam melius fuisse perspectam: nam cum eum, quem celebraturus est, laudibus obruat, verecundiae tamen ejus venitus molestus non est* (u). En tria, quæ promisi, occultæ laudis exempla: Votum, seu Conditio; Ironia & Jocus; aliena Imago.

Tibi vero, candidissime Ruæe, for-  
Laudamus  
tasse præ ingeniosis laudibus sinceræ candide.  
placebunt: illæ enim splendidiores qui-  
dem sunt, sed naturali suavitate longe

D 4                  infe-

(t) Revatus Rapinus in Animadvers. in Poeticam, P. 2 animadv. 14.

(u) Idem ibidem. Similia fere habet in Comparatione Homeri & Virgilii, c. 3.

inferiores. in te vero excelleus ingenium ita admiror , ut candorem illum ac suavitatem tuam incredibilem multo superiorem rear. Certe si de tuo iudicio suspicari e meo licet : ego , quoties personæ ratio id patietur , candide potius , quam dissimulanter laudaverim. Ejus , cui scribo , nobilitatem , ingenium , iudicium , eruditionem , eloquentiam , dignitatem , famam , prudentiam , humitatem , æquitatem , pietatemque , & si quid est præterea , sincerissima prædicatione extollo. ad artes tum demum confugio , cum vel amoenitas id suadet , vel gravior quædam ratio exigit. Hujus generis formulas esse censeo sequentes.  
*Fieri non potest , Vir præstantissime , ut quisquam dotibus tuis non capiatur : nosse enim te , & suspicere , idem est.* Vel : *Inrementum tibi precari non possum : patere enim , ut libere dicam , quod vere sentio : attigisti verticem.* Id ergo solum precari possum , ut omnes te tantum esse intelligent , quantum ego scio. Plinius ad Trajanum : *Precor ergo , ut tibi , & per te generi humano prospera omnia , id est , digna seculo tuo contingent* (w). quod affine est magnifico illi Ciceronis : *Finem nullum facio , mihi crede , Cassi , de te & de Bruto nostro , id est , de tota Republica , cogitandi* (x). Imitari hæc non erit difficile,

(w) Plinius l. 10 epist. 1.

(x) Cicero Epistol. familiar. l. 12 epist. 1.

ficile, si ad virum nobilem scribas :  
*Precor, ut tibi, Illustrissime Comes, & per te splendissimæ stirpi tuæ inclyta omnia, id est, digna nobilitate hac, virtuteque, & publica omnium expectatione contingant.* Aut ad animarum Pastorem : *Dignetur supremus Pastor Dominationem Vestram Ammoduri Reverendam, id est, gregis sui spem salutemque publicam, protegere semper, & cumulate beare.* Si adulatio[n]is suspicio metuenda fit : *Plura fortasse dixi, quam credere velit Patroni mei modestia, vel si credit, audire. At qui possum affirmare candidissime, me & in his literis, & in aliis omnibus, multo dixisse minus, quam sentio.* A majorum splendore sic amicum laudat in Thyrsis Philotesii Erycius Puteanus : *Majores referes, & imitando efficies, ut referre te pariter posteri cupiant* (y). Sic ad Oranum scribens Lipsius, patrem ejus & patruos laudat: qui modus late patet, & occasionem laudandi perap[er]positum & facilem præbet. Muretus ad Eminentissimum Andream Battorium magna candoris specie sic eloquentiæ habenas laxat : *Ego te, Cardinalis optime ac præstantissime, semper observavi ac colui, captus non tam nobilitate ipsa regii generis tui, quam admiratione tuarum singularium in omni genere virtutum : quibus ita tibi, dum in urbe versatus es, omnium voluntates*

D s.

con-

(y) Puteanus Thyro Philotesio 44.

*conciliasti ac devinxisti , ut hodie quoque  
absente te , cum solutiores linguae & libe-  
riora judicia esse solent , nemo tamen aliter  
de te , quam de perfecto quodam & omnibus  
numeris absoluto virtutis exemplo loqua-  
tur. Blandum est illud Angeli Politiani  
ad Sfortiam Principem , cuius majesta-  
tem ut laudet , veniam rogat , quod  
ausus eum esset *devocare paulisper ad  
hæc inferiora velut ab excelsiore quodam  
fastigio* (z). Denique adulationem ita  
a se amolitur Pontificali quadam ma-  
jestate Divus Ambrosius , ad Gratianum  
Augustum : *Nihil hic adulationis est ,  
quam tu non requiris* (aa). Felices illos ,  
qui multos habent , ad quos idem scri-  
bere vere possint , adulationem ab eis  
non requiri. Inter nos , Ruæe carissi-  
me , nulla certe requiritur : certum  
enim utrique nostrum est , candidissime  
te a me , me a te laudari. unum tan-  
tum inter laudes nostras discrimen est :  
quod ego lucem celebro , tu tenebras  
meas lucem putas. Sed fallere , mi  
Ruæe , fallere : ne , si forte aperire  
oculos incipiat amor tuus , amor esse  
definat.*

(z) Politianus Epist. lib. II.

(aa) D. Ambrosius Epistol. lib. 5.

## EPISTOLA VI.

## De Gratiarum Actione.

**L**AUDI GRATIARUM ACTIONEM subjicio, multo faciliorem, & quæ prolatis duntaxat variis illius formulis absolvetur. Ut per gradus ascendam, tria mihi videntur esse animi grati officia: agnoscere beneficium; spondere memorem animum; offerre obsequia mutua. Exempla, quæ adjungam, Rūmæ amicissime, sic velim interpreteris, ut eorum pleraque de summa illa in me humanitate tua, cui par ego nunquam referre potero, a me intelligi cogites.

Qui agnoscere beneficium studet, Gratus hæc fere secum expendit: quam necessarium sibi illud, vel certe fructuosum fuerit: quam cito, quam opportune collatum: an idem ab aliis quoque dari potuerit, ab iisque forte negatum sit: an datum non petenti, non expectanti, indigno. Vix unquam continget, ut ex horum aliquo beneficium exaggerari non possit. Secundum hæc de modo quoque cogitandum, quo accepti beneficij magnitudinem agnoscere nos ostendamus. Quem vero hic prius, quam dulcissimum Ciceronem adducam? *Quibus verbis, inquit ille, tibi gratias agam, non repe-*

reperio (a). Imitabitur hoc, si quis dixerit: *Si pro dignitate agendæ tibi a me gratia essent, non literis mihi, sed totis voluminibus opus foret.* Alibi ad delicias suas Tironem, plurima ejus in se obsequia enumerans, ita idem Tullius ait: *Innumerabilia tua sunt in me officia; domestica, forensia; urbana, provincialia; in re privata, in publica; in studiis, in literis nostris* (b). est autem gratissimi animi, tam diligenter recordari singulorum. Subtile est illud Puteani: *Tanquam merear beneficium, confers: addis amorem, ut meruisse videar* (c). acute, ut solet hic Auctor, beneficium ab amore distinguit: multo siquidem majus beneficium est ipso beneficio amor: per beneficium enim nostrum aliquid damus; per amorem nos ipsos. Sed nihil Puteanus ad Ausonium, qui ad Symmachum inquit, fuisse sibi illum amicum, fuisse parentem, & siquid utroque est carius (d). Hoc unum exemplum docere potest, quam incredibili intervallo acumen ingenii a locutione grandi & naturali distet: quis enim non videt, Puteani dictum scintillam esse, quæ fulgoris aliquid habeat; Ausonii verba

(a) Cicero Epistol. famil. 1. 2 epist. 9.

(b) Idem earundem famil. 1. 16 epist. 6.

(c) Erycius Puteanus Thyrso 4.

(d) Ausonius, Epistolarum Symmachi lib. 1 epist. 32.

verba ingentem quandam flammam, quæ flagret ipsa amore, eodemque Symmachum accendat, involvat, abripiat? Non minorem fortasse vim habebunt illa: *Quidquid sum, quidquid habeo; tibi debetur.* Et: *Quantopere tibi obstrutus sim, omnes intelligunt: quantopere id ipsum ego agnoscam, ne si centum quidem mihi linguae sint, satis eloqui possim.* Ad extremum usque limitem progreditur Cicero iis verbis: *cum illud ipsum gravissimum & sandissimum nomen Pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur?* (e) Pietatem cum debeamus parentibus: plusquam parentibus debere se amico fateatur, cui pietatis nomen non satis grave videtur. Et ne nescire patiatur legente, quam grandis hæc sit & insolita gratiarum actio: sensus sui magnitudinem geminata exaggeratiene inculeat, dum pietatis nomen *gravissimum*, dum *sandissimum* vocat. Muretus aliam viam ingressus est: *Illud vere affirmare possum, nihil tibi me præstitisse, aut tua caussa fecisse, quo minima pars aut meritorum erga me tuorum, aut meæ erga te voluntatis adæquari queat* (f). In eundem sensum licebit dicere: *Cum jucundissima mihi sit tui memoria, hoc unum tamen non mediocri me, quoties de te cogito, dolore afficit, quod ingratum vivere*

(e) Cic. Epist. famil. I. 1 epist. 9.

(f) Muretus epist. 27.

*vivere & mori me cogis. quid est enim, Amice, quod tuis illis innumerabilibus maximisque in me beneficiis, et si totum me impendero, reponere ego dignum possim?* Politianus ait: *Intelligo, non orationem modo nostram, sed plane facultatem omnem imparem esse tuis erga me meritis* (g). Perquam delicatum est Tullianum illud, cum obstrictus beneficiis pristinis, nova petit, additque: *estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere* (h). Quod similitudine convestit politissimus Angelus, cum obsecrasset patronum, ut deinceps quoque favere pergeret: *Mos hic videlicet debtoribus, cum sint maxime obruti cere alieno, tum pecunias maxime mutuantur* (i).

**Memorem** Magnum patrone gaudium affert, qui se fore agnoscit beneficia; majus, qui percep-  
**spondet:** tuam illorum memoriam pollicetur: in illo enim jactæ fementis fructum durasse apparet; in isto, & durasse & duratum. Rursum a Cicerone ducamus initium: *Meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit obliuio* (k). Sic dicam: *Nulla temporum, nulla locorum intervalla efficient, ne debtorum meorum semper*

(g) Angelus Politianus Epistol. I. 1.

(h) Cic. Epist. famil. I. 2 epist. 6.

(i) Angelus Politianus Epist. I. 8.

(k) Cicero Epist. famil. I. 2 epist. 1.

per & ubique gratissima cum veneratione meminerim. Suaviter, præter morem, Lipsius: *Ea (amicitiæ jura) maneant, dum nos manemus: nec incidat hunc nexum ulla dies, quam ea quæ vitæ hoc filum incidet* (1). Sic, commemoratis beneficiis, subjungam: *Quæ ego si recordari, si unquam maximi, ut debeo, facere desinam: saxeus ferreusque sim.* Desiderius Erasmus, qui humanioris literaturæ suo ævo princeps a multis est habitus, memorabili labore se fatigavit: sententiam enim hanc, *semper, dum vivam, tui meminero, ducentis omnino loquendi modis variavit, ut copiam latinæ linguae ostenderet.* Sed ego rerum hic copiam, non verborum quæro: quare, cum nullo novo subiecto sensu phrases suas Erasmus accumulet, e toto illo agmine idoneum, quod huc transferrem, nil inveni.

Parum est grato homini, meminisse obsequi' eorum, quæ accepit: referre vices <sup>mutua</sup> cupit, & obsequia vicissim offert. *Sum,* <sup>offert.</sup> inquit, *servorum tuorum ultimus: sed grato animo, & serviendi tibi prompto desiderio, omnium esse primus studebo.* Luculentissime Oratorum princeps: *Fatiam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt* (m). Mure-

tus

(1) Lipsius Centur. I ad Belgas, epist. 2.

(m) Cicero Epist. famil. I. 11 epist. 5.

tus inquit, perpetuo observari animo suo debita, quibus amico teneatur: nec quiescere se posse, identidem, quid tandem illi gratum referre posset, cogitantem. Grati animi vox est: *Ita ubique loquar & agam, ut meam in te fidem, amorem, reverentiam omnes cognoscant.* Quanta vero eloquentia magnus Cicero! Ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum (n). Et ibidem: *Tu velim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quae ad te pertineat, quae mihi non carior sit, quam meae res omnes.* Quæ quoniam prope incredibilia videri amico poterant, ardenti animo subjungit: *Cum enim plus contenderimus, quam possumus: minus tamen faciemus, quam debemus.* Quis hanc Epistolam linguae Nestoris similem neget esse, e qua, ut Homerus cecinit, melle dulcior fluebat oratio? Sed nondum dulce hoc Tullianum flumen exhaustum est. Alibi ita habet: *Nihil mihi fuit optatius, quam ut primum abs te ipso, dein a ceteris omnibus quam gratissimus erga te esse cognoscerer* (o). Multo maximo autem amore: *Qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum affecutus* (p).

Quam

(n) Cicero Epist. famil. l. 1 epist. 8.

(o) Idem earundem l. 1 epist. 5.

(p) Idem earundem l. 1 epist. 4.

Quam suave deinde est illud ? *Neque mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quam ut quotidie vehementius, te de me optime meritum esse, lætere* (q). Oppii in se benevolentiam cum laudasset, ita gravissime pergit : *Quod tuam judicium nisi mea summa benevolentia erga te, omnibusque meritis comprobaro : ipse me hominem non putabo* (r). Longe quidem inferius, egregium tamen illud Julii Cæfaris Scaligeri : *Ego quid aliud policear, quam omnne meum studium in eo genere officii, quod ad decus & gloriam tuam pertinebit?* (s) Majore, quam Scaliger, vi Erasmus : *Quid tibi, quid inquam policear, num me ipsum, quantus sum, dedam ? At exiguum est iis me dedere, qui nisi fuissent, ipse non essem.* Non raro precamur Cælites, aut precaturos nos spondemus, ut illi in locum nostrum succedant, & patroni benedicentiam sua remunerentur. Ita facere se testatur Muretus : *Neque dies nullus præterit, quo non in precibus quotidianis nominatim D E O te tuaque commendum* (t).

Hæc illi ad suos : hæc ego ad te, nobilissime humanissimeque Ruæe.

**E** Agnosco,

(q) Cicero libro eodem, epist. 9.

(r) Idem l. 11 epist. 29 familiarium.

(s) Cæf. Scaliger, epist. 18.

(t) M. Anton. Muretus, epist. 35.

Agnosco , quid tibi debeam : meminisse  
mei ipsius ante , quam tuorum in me  
officiorum desinam : rependere vero  
etsi digne non potero , omni tamen  
studio semper conabor. Ad te ergo  
ut initio præfatus sum, dicta omnia refer:  
quibus ego quod addam , non habeo  
nam neque majus aliquid dicere pos-  
sum , neque minus volo.

## EPISTOLA VII.

*Quid responderi possit gratulan-  
tibus.*

**Q**uemadmodum apud lanistas ejusdem  
quidem artis est intentare ictus  
eosdemque excipere , sunt tamen pecu-  
liares aliquot regulæ , quæ docent per-  
cutienti se opponere : ita etsi quisque  
respondere epistolis eo melius sciet , quo  
perfectius scribere easdem didicerit  
sunt tamen quidam rescribendi fonte  
peculiares , quos ostendere non erit  
inutile. Itaque , quæ respondenti sun-  
cum primo gratulante communia , hic non  
repetam : ne bonitate tua , Ruæe , abuta  
nimium. Satis , etiam me tacente , con-  
stat , Exordia & Epilogos , Laudes  
Gratias , aliaque id genus , iisdem e re-  
gulis

Præter  
fontes  
commu-  
nes.

gulis peti in respondendo posse , quibus primo scribentes utuntur. Peculiaria vero , quæ solis rescriptibus congruent , ad certa quædam capita meo more revoco.

Ab Excusatione in primis saepe capitur Responsio respondendi occasio. Justo diutius re-ducitur ab sponsum distulerat Politianus. moram excusatio-  
ita excusat : *Ignosce occupationibus, Caesar: ne;*  
*neque me vel superbum crede, vel in officiosum;*  
*quod ad tuas hædenus literas non rescripsi-*  
*rim (a).* Multo autem venustius aliam  
ejusdem libri epistolam ita orditur :  
*Neque desidiae meæ, neque occupationum culpa*  
*omnino est, licet harum quoque nonnulla sit,*  
*quod ad epistolam superiorem non rescripsi*  
*hædenus; sed tuæ potius facilitatis, notæ jam*  
*ac omnibus, ut ob eam protinus & ego licere*  
*in te mihi omnia existimaverim.* Quis non  
gnosceret homini tam ingentio , tam in-  
pia offensa urbano ? mire delicata est  
haec confessio culpæ , quæ plus honoris  
ac laudis continet , quam quantacunque  
respondendi celeritas. Aliquando , non  
quod respondeamus tardius , sed quod  
priores non scripserimus , excusamus.  
*Humanitas tua , ait Langius , occupavit*  
*meum officium (b).* Nonnunquam excu-  
sationi amicorum occurrimus , illisque

E 2

pro

(a) Angelus Polit. l. 4 epist.

(b) P. Lang. Centur. 2 epist. 93.

procrastinationem suam accusantibus, culpam vel condonamus comiter, vel fuisse omnino culpam negamus. Humanissime Symmachus: *Quod scribis, voluntariae benignitatis est; quod sero, curarum* (c). Idem alibi peramanter: *Post longum silentium tuum, non minus desiderabam, quam sperabam literas* (d).

**Gratiarum** Necessaria non est excusatio: gratia actione; rum vero actio prætermitti nullo modo potest. Vel salutantem nemo est tam rusticus quin resalutet: quid ergo inculcius, quam scribendi labore nullis gratiis velle dignari? Sed de gratiarum actione pluribus nuper. Unum hic adiicio e Cicerone, qui per summum artificium, nullas se ait agere gratias, nec expectare id amicum debere: *nec enim id, inquit, inter nos facere debemus* (e) quo nihil amicus, nihil candidius scrib potuit.

**Promissio.** Nulla melior est gratiarum actio ne amorisquam benevolentiae mutuae testificatio mutui; quæ par pari refert, dum amorem amor solvit. *Literis vincimur*, Symmachus videtur, amore certamus (f). Muretus amo-

(c) Symmachus l. 9 epist. 127.

(d) Idem l. 1 epist. 23.

(e) Cicero Epistol. famil. l. 12 epist. 28.

(f) Symmachus l. 8 epist. 22.

rem perpetuum pollicetur: *Ego te amare non desinam, nisi tu, qui es, esse desieris: hoc autem pro certo atque explorato habeo, nunquam fore* (g). Sed cuius ego potius verba in argumento tam dulci, quam Doctoris mellei afferam, Divi Bernardi? is ad Ogerium suum, Regularēm Canonicū, hæc habet verba, digna se, & omni nectare suaviora: *Quantalibet versuum diversitate, verborum multiplicitate, scriptorum varietate, tuam mihi caritatem ostentare seu commendare coneris: minus certe sentio te exprimere, quam diligis. Idemque tu de me sentiendo non falleris* (h).

Qui laudatus est a gratulante, vel <sup>Laudibus</sup> recusare laudes has, vel ingeniose admit-<sup>fuis;</sup> tere potest. Recusat Lipsius, & nihil ait in laudibus, quas amicus in eum congefferat, probare se posse præter amorem, qui dictasset. Ausonius ad Symmachum, a quo laudatus fuerat, modeste rescribit: *Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea* (i). Muretus pereleganter; si, quam blandæ ac terfæ fuissent amici literæ, tam etiam vera de se prædicarent; magnam caussam fore, cur & ipse sibi gauderet, & amicus de mutui amoris vinculo sibi gratularetur.

E 3

Petrus

(g) Muretus epist. 84.

(h) D. Bernardus epist. 90.

(i) Ausonius, Epistolarum Symmachi lib. 1 epist. 32.

Petrus Bembus Christophorum Longolium, qui Bembi in se beneficia prædicaverat, tacere simpliciter jubet : *Si miamas, ne tu posthac ad me quidquam ejusmodi* (k). Contra in admittendis laudibus ingens est Angeli artificium, qui non quidem amicorum elogia tanquam vera approbat ; quod arrogantis foret ; sed ut amoris mutui nutrimentum amplectitur : quod est ingeniosi hominis, & amicitiae jure acutissime perspicientis. *Quod mihi, inquit, in tua epistola tantum tribuis, quantum ego nec agnosco, nec fateor : vel ob id certe mihi gratum est, quod amicius, quam verius sentiens, magis fortasse nos diliges* (l). Et eodem libro : *Quas in me laudes confers, quanquam agnoscere jalva fronte non ausim ; tamen ob id gratissimas habui, quoniam, cum nec irrisio in istos mores, nec adulatio cadat ; necesse est, laudatio haec aut ex amore in me nimio, aut ex vero proficiscatur. quorum cum sit utrumque mihi gloriosum, alterum diu in votis, alterum etiam supra vota est.* Alio non nihil modo alibi utitur, cum suas ab amico laudes tam facunde dicit esse adornatas, *ut ob eas, inquit, ipse quoque mihi placeam, qui scio, veras non esse* (m). Jocatur urbanissime, & quam ingeniose amicitiae

desi-

(k) Bembus, Epistolarum ad Longol. epist. 2.

(l) Angelus Polit. Epist. I. i.

(m) Idem I. 4.

desiderium explicaverat in prioribus, tam callide blanditur in ultimo: quem enim non ad benevolentiam moveat laus eloquentiae tam singularis? Alicubi tamen Politianus quoque recusat omnino laudem, ac totam scribentis amori in acceptis refert: *Vellem tamen, ut laudare me tam vere possem, quam plene soles* (n).

Si epistolam ornatam & eloquentem Laudibus accepimus, licebit hunc ipsum ejus cul-<sup>acceptæ</sup> tum extollere; & scribentis acumen, <sup>epistole;</sup> copiam, nitorem laudare. Placebit auctori, si intellexerit, gratam fuisse epistolam, lectam, relectamque; eo placuisse magis, quo saepius repetita sit. *Identidem me allicit*, ait Ausonius, *ille suavissimus, ille floridissimus tui sermonis affatus* (o). Gaudebit, qui gratulatus est, si legerit: *Literas tuas accepi, suavissimas, & reliquarum tuarum simillimas*. Eruditus Symmachus: *Quod ait noster Comicus, Nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam: id ego de epistolis tuis jure memorauerim* (p). Copiosius, suaviusque Muretus: *Heri accepi a te literas simillimas tui, tersas, nitidas, elegantes, plenissimas humanitatis* (q).

E 4

Huc

(n) Angelus Polit. Epist. I. 6.

(o) Ansonius Epistolarum Symmachi lib. I. epist. 32.

(p) Symmachus I. 9 epist. 82.

(q) Muretus epist. 19.

Huc spectat desiderium illud , crebriores , longioresque ab amico epistolas accipiendi : ut si dicamus , unum nobis in ejus literis displicuisse ; quod , cum essent nobis longe jucundissimæ , longiores non fuerint. Ita pater Aurelii Symmachi ad filium de ejus epistola : *Vere dicam tibi : plura legere volentibus celester terminata est* (r).

Laudibus  
humanita-  
tis amici :

Sed quanto præstantiores verbis sunt res , tanto est sapienti optabilius , humanitatem suam & mores , quam stylum epistolæ magni fieri. Hunc ergo postremum responsionis inveniendæ locum constituo , laudare gratulantis humanitatem. Polite id facit , & tantum non poetice Langius : *Epistolam nuper legi tua manu descriptam , ab ipsa humanitate dictatam* (s). Muretus insigni candore , Ciceroniani nimirum generis imitator : *Magis magisque se omni ex parte declarat amor erga me tuus* (t). Ad ipsum vero Muretum Paulus Manutius : *De benevolentia tua et si nunquam dubitavi , ex te tamen ipso ea , quæ opto , libentissime audio*. Amanter uterque , sed magis Manutius : cum enim Muretus nova sibi identidem amo-

ris

(r) Symmachi pater , Epistolarum Symmachi filii l. i Epist. 2.

(s) P. Franciscus Lang. Centur. 2 epist. 68.

(t) Muretus epist. 10.

ris indicia præberi dicat : Manutius negat, novam sibi esse amici in se benevolentiam : amicitiæ præterea defensionem, & consuetum ex Mureti epistolis gaudium addit. Breviter & ornate Q. Cicero ad M. Tullium fratrem : *Te totum in literis vidi* (u). Tullius ipse ad Atticum suum : *Accepi tuas literas ad quintum milliare Laodiceæ, quas legi libentissime, plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligentiae* (w). Et ad eundem alibi : *Cum ad me ita suaviter, diligenter, officiose, humaviter scriperis* (x). Julius Cæsar Scaliger, raro blandiri solitus, hoc tamen scripsit blandissime : *Obtulerunt mihi (literæ tuæ) elegantiam illam tuorum morum, iisdem expressam lineamentis, quibus coram te ipse præte ferre confueveras* (y).

Ne longiores faciam literas, nihil imprimis dicam de expeditissimo copiosissimoque rescribendi medio, quod ex ipsis acceptæ epistolæ verbis sumitur : ipsa enim natura dicit, responderi aptius faciliusque non posse, quam captata e verbis alloquentis occasione. Sed omitto hoc, ut ultimum ac præstantissimum epistolæ

E 5

meæ

(u) Q. Cicero Epistolarum M. Tulli familiarium l. 16 epist. 16.

(v) Cicero l. 6 ad Atticum, epist. 1.

(x) Idem ad eundem l. 1 epist. 15.

(y) Cæs. Scaliger epist. 15.

meæ locum , quem humanitati tribui  
eidem relinquam : quæ virtus , Ruæe  
cum tibi sit propria atque carissima,  
hoc uno certe gratiam a te his literis  
initurum me spero , quod illi honorem  
habui singularem.

## EPISTOLA VIII.

*De Transitionibus, & Epilogis.*

**D**e eadem fidelia , ut Curii voce utar,  
duos hodie parietes dealbabo : una  
enim Epistola & Transitiones comple-  
ctar , & Epilogum. Qua de caufsa ?  
quia sola Transfitio non est tanti , ut  
peculiarem Epistolam occupet. Est illa  
tamen perutilis ; & ut necessaria sæpe,  
ita nonnunquam inventu difficultis ; præ-  
sertim , ubi præter gratulandi officium  
alia quoque inferenda , & reliquo Epi-  
stolæ corpori velut agglutinanda sunt.  
Quare operæ pretium me putavi factu-  
rum , si formulas aliquot transitionum  
colligerem , & priusquam de Epilogo  
agam , breviter percenserem.

*Quousque longius loquor ? mitto verba:  
rem flagito. Symmachus l. i epist. 7. Id  
in rem nostram ita potest aptari : Quousque  
longius progredior ? (nam loqui longius  
latine dicere vereor) mitto verba : rem  
potius ipsam , obsequia mea omnia , & quidquid  
est meum , offero.*

Quid

Transitio-  
num for-  
mulæ.

*Quid agam, si scire fors lubet : diem inter  
negotia & libros divido, bonaque valetudi-  
nem alienæ meæque utilitati impendo.*

*Et hic ( nequid rerum mearum dissimu-  
lem ) nisi quod amico suavissimo carere cogor,  
latus vivo.*

*Dixi de rebus meis : tuas vicissim audire,  
scis quam sit mihi gratum. Divino quidem:  
sed a te ipso percipere felicitatem tuam, jucun-  
dius erit.*

*Cur ego non coram adsum, spectator lau-  
dum tuarum, & gaudii particeps? Cicero-  
nianum est: *Dii immortales!* cur ego non  
adsum, vel spectator laudum tuarum, vel  
particeps, vel socius, vel minister consiliorum?*

Epistol. familiar. l. 2 epist. 7 ad Curio-  
nem,

*His de negotiis quid scribam ad te, nisi  
idem, quod sæpe? Cicero l. 2 ad Atticum,  
epistola ultima. Pro negotiis, si nulla  
fuerint, facile aliud quidvis ponetur:  
De quibus ego debitis meis quid scribam, nisi  
idem, quod semper? obseratus sum: unde  
solvam, non habeo; non habebo.*

*Pœne præterii, quod fuerat inter prima  
collocandum. Symmachus l. 3 epist. 6.*

*Sed quid ego hæc doctissimo viro? Pli-  
nius junior l. 3 epist. 13.*

*Difficile est, de hoc plura addere: cum nec  
ego beneficia tua eloqui satis possim, & tu au-  
dire de illis vel parum recuses.*

*Aliud, quod scribam, nunc non est. Lipsius.  
Quid*

*Quid jam? quid scribam amplius? nihil,  
nisi ut me ames: quod tamen te facere, mihi  
jam pridem exploratum est.* Muretus.

*Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio  
excusationem.* Cicero Epistol. famil. l. 12  
epist. 25. familiaris & commodus ad re-  
spondendum modus. sic dicimus:  
*Quod de fratre interrogas, agnosco humani-  
tatem tuam. Valet is non bene quidem; me-  
lius tamen, quam hactenus. Sæpe & hoc  
modo: De pace, iniquo loco sunt res nostræ:  
non credo.*

Elegans Transitionis modus est, cum  
futurorum comp. ratio quædam cum iis,  
quæ prius dicta sunt, instituitur. Sic  
Plinius, dum villæ suæ Laurentinæ com-  
moda enumerat, recensitis hybernis de-  
liciis, subjungit: *Hæc jucundiss. ejus  
hyeme, major aestate (a).* Idem, ubi Ar-  
temidorum laudat, post insignia illius  
elogia, sic pergit: *Sunt hæc magna, sed  
in alio: in hoc vero minima, si ceteris virtu-  
tibus comparentur (b).*

Ceterum, ut hoc de Transitione ad-  
jiciam, sollicita illa esse non debet. Si  
plura memoranda sunt in litteris, fiet id  
sæpe eo melius, quo simplicius. Imo  
affectionis vitium non effugeret, qui  
res penitus disparatas conjungere inter  
se violenta cōpāge niteretur. *Omnino  
decora*

(a) Plinius junior l. 2 epist. 17.

(b) Idem l. 3 epist. 11.

*decora est hæc incuria*, ait magnus vir, & in rebus ipse suis diligentissimus, Justus Lipsius. Nec minus vere præmiserat paulo ante hæc verba : *Nec in ordine quidem admodum labore* : *qui optimus in Epistola, neglectus aut nullus* (c).

In Epilogo celeberrimus est, & hodie *Vale in quoque apud multos receptus veterum Epilogos*, qui longæ non raro epistolæ unum illud suum *Vale Epilogi* loco attexere satis habebant. Si more Romano aliqui amicum licet, & ambages titulorum, quos vocant, omittere : ego nunc quoque ritum veterem sequar, amicitiæ, & naturalis candoris indicem. Quid enim suavius, quam si cum Langio dicas? *Vive mei memor, & vale.* Angelus Politianus ad ipsum Pontificem Maximum, Innocentium VIII, scribere non dubitavit : *Valeat tua Santitas* (d). Licuerit id illi seculo : hodie videndum est quantum. Inter ipsos amicos mihi semper placuit, ut vocabulo illi aliquod condimentum accedat, quo majorem afferat legentibus voluptatem. Adjeci ergo nunc votum aliquod ; nunc ejus, cui scribebam, elogium. *Vale optime, mihi Baptista, & tantus fieri perge, quantus es potes, & dignus es ; id est, summus.* Ad maxi-

(c) Lipsius Institutionis Epistolicæ c. 6.

(d) Angelus Politianus Epistol. I. 8.

maximæ spei discipulum : *Vale, decus meum & gaudium : etiam atque etiam vale.* Sic & Muretus : *Mi Manuti optime & amicissime, etiam atque etiam vale.* Aut : *Vale, mi Manuti : vale & me ama.* Cicero autem suavissimum Tironem suum non semel tantum & iterum valere jubet ; sed tertio , imo quarto : *Vale, mi Tiro, vale : vale & salve.* *Lepta tibi salutem dicit, & omnes.* *Vale (e).* Apparet, quam vehementi amore flagret, qui tam ægre se ab amato avellit. Sed quoniam hæc, quantumvis præstantia , nostris tamen temporibus , maxime in gratulando , perraro conceduntur : alias Epilogi formulas conqueramus.

Epilogus explicat. cur finiatur Epistola :

*Cesso longius pergere, inquit Symmachus, quia in renumerandis beneficiis jejuna est verborum vicissitudo (f).* Sæpe cessandi causa sunt occupationes patrohi ; vel etiam , si is magnæ sit dignitatis, ejusdem reverentia. *Finem non facerem, si animo meo obsequi, quam plurimis tuis gravissimisque parcere negotiis mallem.* Vel : *Gratus animus scribere jussit : reverentia jubet tacere.* Scio Illustrissimi Mecænatis mei benigitatem, qua solet clientum vota non aspernari. ausus sum illa uti : abuti non audeo. *Venerationem, quam verbis testari conatus sum, ad extremum*

stiam  
(e) Cicero epist. famil. l. 16 epist. 6.

(f) Symmachus l. 5 epist. 45.

*etiam silentio testor.* Sed prolixa sit epistola necesse est, quam hic Epilogus deceat.

Proprium est huic loco, benevolen- Promittit tiam petere; & si scribentem deceat, amorem, amorem polliceri. *Venerari te non desiderat petit:* nam; *imo & amare, dum finis.* Quod Symmachus ita dixit: *Ergo habeat modum sermo, quem nunquam circa te habebit affectio* (g). Majorem reverentiam præseferet, qui dicet: *Id unum precor, ut Excellentissima sus Dominatio deinceps quoque dignari me perget eo, quo semper gloriari soleo, nomine clientis sui.* Ad Amicum: *Unum te, sed vehementer, rogo: agnosc me semper tuum.* Huc & illud spectat: *Quod literis deest, supplet amor, meus, tuusque: nam neque tuus quidquam meum contemnere solet: & meus etiam in minimis, quae tibi offert, maximus est.* Divus Bernardus, eti humanarum rerum tantus contemptor, quique amasse non nisi solitudinem videri queat; ad Ogerium tamen suum suavissime dixit: *Amemus, & amenur* (h). Divus autem Ambrosius omnes proptermodum epistolas suas in hunc sensum finit: *Vale, & nos dilige: quia nos te diligimus.* Subtile est illud Symmachi, & vere amanti proprium: *Quod cum effla-* gito

(g) Symmachus l. 3 epist. 6.

(h) D. Bernardus epist. 90.

*gito (amorem petierat) vereor, ne me  
injurium putas, qui a te postulem, quod sponte  
præstatur (i). Quod si ea sit patroni  
persona, ut amoris aperta mentio fieri  
decore non possit: substituetur illi vel  
favor, & benevolentia; vel reverentia,  
& gratus animus: quorum illa petere,  
ista promittere semper licebit. Sic Mu-  
retus alicubi, ad extremum se, quantum  
possit, petere atque contendere, ut ami-  
cus omnia potius, quæ negantur fieri  
posse, eventura existimet; quam ut  
quidquam de sua illi debita observantia  
detrahatur. Quo serviet illud Scaligeri,  
trajectis duabus voculis: *Judicabis, mihi  
curam assiduum injectam cavendi, nequid de  
amplissima mea erga te (inferior dicet, tua  
erga me) benevolentia diminutum esse videa-  
tur. (k).**

Precatur  
felicis:  
obsequia  
offert:

Sæpe etiam voto finitur Epistola, vel  
oblatis obsequiis. Muretus inquit:  
*Siquid accidet, in quo declarari tibi velis,  
quanti a me fias, non fallam opinionem  
tuam (l). Familiarius hoc: reverentius  
alibi sic promittit obsequia: *Siquid est,  
quod hic a me aut tibi, aut tuorum cuiquam  
curari velis: quæso te, ut plane tibi perfa-  
deas, me omnia caussa tua semper cupidissime  
dili-**

(i) Symmachus lib. i epist. 41.

(k) Julius Cæsar Scaliger epist. 18.

(l) Muretus epist. 53.

diligentissimeque facturum (m). Vota vero ad Divinam Clementiam facimus, ut amico multos vitæ annos, ut veram magnamque felicitatem largiri velit. Divus Ambrosius epistolam ad Theodosium Augustum his verbis concludit: *Beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris tranquillitate perpetua, Imperator Auguste* (n). Divus Augustinus (quem enim aptius jungemus Ambro-  
sio?) ad Cornelium: *Dominus nobis præstet de tua salute gaudere, Domine dilectissime, & honorabilis frater* (o). Divus Hieronymus ad Augustinum, eloquentissimus Doctorum ad ingeniosissimum, ita finit: *Incolunem te & memorem mei Christus Dominus noster tueatur omnipotens, Domine vere sancte, & suspiciende Papa* (p). Ad alios idem Hieronymus: *Vale in Domino* (q). *Vale in Christo* (r).

Sæpissime nos ejus, ad quem scribi-  
mus, favori; nonnunquam & precibus dat favori;  
com-

(m) Muretus epist. 49.

(n) D. Ambrosius Epistol. lib. 5.

(o) D. Augustinus epist. 125.

(p) *Papa* nomen diu fuit Episcopis omnibus commune: ut paulo post e Sidonio quoque apparebit.

(q) D. Hieron. epist. ad Antonium Monachum.

(r) Idem ad Theophilum Alexandrinum E-  
piscopum.

commendamus. *Res omnes, spesque meas tibi; meque totum commendo tradoque.* Blande, suo nimirum Sylo M. Tullius : *Quam (sui memoriam) ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est aut preci-ita rogandi, rogo (s).* Preces postulat Doctor melleus ad calcem epistolæ, quam ad congregatos Sueffione Abbates scripsit : *Commendo me sanctis orationibus vestris (t).* Patres Carthaginensis Concilii ad Innocentium Pontificem Maximum : *Ora pro nobis Domine, Beatisime Papa (u).* Verum hæc sanctitate maiore, quam cultu. Lipsius eleganter : *Salvere te, mi Dausqui, animitus opto, & meliorem mei partem per tuas preces.* Et ad Martinum Delrium : *Vale, & cum alias, tum in sacris votis memor esto.* Unum tamen nævum in priore exemplo non dissimulabo. *Animitus*, quod eruditissimo viro hic excidit, ignota Romanis veteribus vox est. *Ex animo dixit Cicero, cum serio quidpiam agi ostendit.* sic ad Pætum : *Ego uno utor argumento, quam obrem me ex animo vereque arbitrer diligi: quod & nostra fortuna ea est, & illorum, ut simulandi caussa non sit (w).* Bd Brutum item :

(s) Cic. Epist. familiar. l. 12 epist. 17.

(t) D. Bern. epist. 91.

(u) Exstat inter Epistolas D. Augustini, epist. 90.

(w) Cicero epist. famil. l. 9 epist. 16.

item: *Quod ut facias, ita a te peto, ut  
majore studio, magisve ex animo petere non  
possim* (x). Mitto plura, & in viam  
redeo. C. Sidonius Apollinaris, pere-  
ruditus Arvernorum Episcopus, quoties  
fere ad alios Episcopos, quos ea ætate  
*Papas* appellabant, scribit; hac clausula  
uti solet: *Memor nostri esse dignare, Domi-  
ne Papa* (y). Occurrit hic mihi ridi-  
cula Savaronis Galli affectatio; qui cum  
Sidonium utilibus commentariis illustra-  
set: inepta imitationis prurigine eo ab-  
reptus est, ut prope initium seculi de-  
cimi septimi Gueslæum Archiepiscopum  
Turonensem *Dominum Papam* salutaret;  
suamque ad illum Epistolam iisdem ver-  
bis finiret: *Memor nostri esse dignare, Do-  
mine Papa* (z). Hoc imitationis genus,  
sine ullo ad tempora & decorum re-  
spectu ruentis cæco cursu, intellexit  
credo Horatius, cum *imitatores servum  
pecus* vocavit.

Epilogo, præter diem & locum, no- Scribentis  
men quoque scribentis adjicitur: quod nomen.  
veteres in literarum fronte olim collo-

## F 2 cabant.

(x) Cicero epist. famil. l. 11 epist. 22.

(y) Sidonius Epist. l. 6 & 7, passim, ad  
Lupum, Pragmatum, Eutropium, Græcum,  
Censorium, Patientem, Mamercum; cete-  
rosque Episcopos Galliæ.

(z) Savaro in Dedicatioꝝ libri sexti Epi-  
stolarum Sidonii,

cabant. Non memini me hujus rei exemplum legere , nisi in epistolis Julii Cæfaris Scaligeri , qui nomen suum ita subsignat : *Deditissimus eximiis virtutibus tuis , Julius Cæsar Scaliger.* Alias : *Tuus in Domino JESU.* Rursum : *Tuus Scaliger.* Corasius vicissim ad Scaligerum : *Singulari virtuti tuæ addicissimus Joannes Corasius.* Sed in hoc , quantum cuique honoris habendum sit , prudentia & con-fuetudo dictabit.

Salutatio-  
nes.

Unum est , quod cum in tota Epistola proprium locum non habeat , turbare scribentem potest. Salutamus non raro amicos , salutant per nos alii : saepe ta-men per totum Epistolæ corpus nulla se occasio offert segmentum illud officiosum adjungendi. Atqui expeditissi-mus est ejus rei modus , quo Auctores cum veteres , tum novi utuntur. salu-tationem illam finitæ jam epistolæ & dicto vale apponunt. *Atticam salvere jube* , ait Cicero (a). Lipsius : *Vale , mi Rubeni , Et nostrum Guilhelmum a me saluta.* Idem : *Negronio V. A.* ( id est , *Viro Amplissimo* : ut frequentissimum illud *V. C. Viro Clarissimo* ) *& a te laudato sa-lutem mitto.* Honorificentius ad virum Nobilem Montmorencium idem Lipsius : *Hoyum da mihi veniam ut per te salutem.*

Quo-

(a) Cicero ad Atticum l. 12 epist. 10.

Quoniam vero salutandi vocabulum  
vilius est multis hodie, quam ut illud  
ferant; reverentiæ, commendationis,  
aliisve id genus appellationibus fastidio-  
sos homines deliniamus. *Commendo me*  
*plurimum viro lectissimo, fratri tuo. Patere*  
*quæso, ut Prænibili Domino Parenti tuo,*  
*cui nominibus plurimis sum obstrictissimus, me*  
*perquam demisse commendem.* *Virum Am-*  
*plissimum, Patrem familias vestrum, cum sua*  
*suisque, revereor, ut debeo, plurimum.* Alio-  
rum salutationes vel hoc ipso modo, vel  
antiquo illo adscribemus, cuius aliquot  
proponam specimina. Lipsius: *Tornaci,*  
*in ædibus Dionysii Villerii, qui te amat, colit,*  
*salutat.* Q. Cicero ad Tironem, Marci  
fratri sui libertum: *Q. F. (id est,*  
*Quintus filius) tibi salutem plurimam di-*  
*cit (bb).* Tullius ipse ad Pomponium  
suum Atticum: *Terentia tibi salutem (cc).*  
Angelus denique Politianus, cum in  
extrema epistola Picum Mirandulam no-  
minasset, addit: *cujus etiam nomine salutem*  
*tibi adscribo. Vale. Florentiæ, IX. Calend.*  
*Augusti (dd).*

Finieram, nisi addendam censuisset, ut Lucilius dixit, mantissam. quæ nisi  
F 3 te,

(bb) Q. Cicero Epistolarum M. Tullii familia-  
rium l. 16 epist. 8.

(cc) Cicero ad Atticum l. 2 epist. 9.

(dd) Angelus Politianus Epistol. l. 10.

te, Ruæe, ad ridendum permoverit : jocum deinceps ex me nullum unquam audies. Marsilius Ficinus, tertio abhinc seculo, magni nominis Philosophus, Platoni ex aſſe addictus, duodecim edit Epistolarum libros : in quibus, exceptis Platonicis ſomniis & mysteriis, nihil pæne reperi memorabile, præter id, quod ſubjicio. Libro quinto epistolam habet ad Loſterium Neronium, quam ita finit : *Vale feliciter. Verum quid hic resistis inepte, mi calame? quid cessas ingrate?* *Age nunc, progredere paulo ulterius, jam gratae calame!* exprime nunc gratissimum nobis illorum nomen, quorum imagines animo jam diu meo ipſe Amor impressit, Thomam Valorium, & Georgium Antonium Vespuccium, insignes doctrina & probitate viros ſalvere jubeto. Mirum certe, ni Plato, qui Poetas e Republica sua expulit, poetico huic Philoſopho aqua & igni in regno ſuo interdixit : certe enim vel ſine lauro furit. Tu, mi Ruæe, noli quaefo Ficini exemplo cum calamo tuo loqui ; fed ſiquid tibi eſt otii, mecum potius per literas : nam verba tua omnia omnibus gemmis eſſe mihi pretiosiora, ſcis ipſe pridem.

## EPISTOLA IX.

*Fontes Epistolæ generales.*

Iliadem nuci includo, dum hanc Episto- Versiculi  
lam scribo. Magnum aliquid, imo *Quis, quid*  
divinum, expectes licet, Ruæe: medium *ubi*, præ-  
enim subministrabo, quo omnem Epi- stantia.  
stolarum omnium materiam protrahere  
in lucem possumus. Quod illud? ver-  
bis brevissimum, virtute infinitum.  
Quod ergo? Quod felix faustumque sit,  
est versiculus ille omnium ore decanta-  
tus, pueris etiam notissimus:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur,*  
*quomodo, quando.*

Nihilne aliud? nihil plane. Et hunc  
tu versiculum, ante pedes situm, imo  
omnium pedibus protritum, pro divino  
quodam medio venditas, & tanquam  
generale rerum omnium armarium ja-  
ctas? Ita inquam. Ut olim Cicero  
ludum Isocratis appellavit in libris de  
Oratore Equum Trojanum, e quo ora-  
toriae artis innumeri principes exierunt:  
ita versum hunc ego Trojanum Equum  
appellare non dubitem, in quo toti  
exercitus latent. Nihil est enim in orbe  
universo, quod ad versiculi hujus vo-  
cabulum aliquod fæpe & plura, referri

non possit. Eo qui rite uti noverit, illius aciem nulla rei cuiusvis circumstantia subterfugiet: semperque is copia rerum potius, quam penuria laborabit: nisi forte materia per se tam sit sterilis, ut mirum non sit, e nihilo nil fieri posse. Inde factum est, ut instrumenti hujus utilissimi laudibus omnes Rhetorum scolæ personarent; adeo quidem, ut res præstantissima, audita pluribus, quam intellecta, apud multos hodie in contemptum abierit. Ego vero cum in operibus Eloquentiae omnibus, seu ligata illa fuerint, seu soluta, nullum esse ornamentum majus existimem, quam si determinatis illis circumstantiis, pro quibus scripta sunt, accurate respondeant: manifeste conficio, versiculum hunc, qui circumstantiarum omnium admonet, sani omnis ornatus promptuarium esse. Quid quoque tempore, quoque loco; quid ad quemvis, & a quovis scribendum sit; oblivisci fidelis hic index non finet. Non minus ingenii, quam morum regula est certissima, quod vir doctus in Hispaniis, Basilius Avila, ingeminare solebat perpetuo, *Hic & nunc* (a): nihil est enim in omni scriptione perfectius, quam quod locum

(a) Joannes Nedasi, in Anno dierum memorabilium, ad 17 Octobris.

locum tempusque, quo scribitur, quam maxime decet, ac e visceribus caussæ depromptum est. Hæc lex si negligatur, prodibit nempe ephippium, cuivis tergori aptum. Proprie autem scribendi, omniaque rebus singulis peculiaria eruendi, quæ potest esse facilior certiorque methodus, quam unius nostri versiculi recordatio? Dignum proinde inventum hoc, quod ad ipsum eloquentiæ parentem Tullium Doctorum solidissimus Divus Thomas retulerit (b): dignum, quo adolescentes uti discant: viri utantur. Laudo ingeniosum Comitem, Emmanuelem Thesaurum, qui in Arte sua Epistolari inter prima Epistolæ fundamenta interrogatiunculas has collocavit (c). magis laudarem, si & explicasset. Studebo ego evolvere, quæ in brevi hoc summario latent: & per singula ejus capita id ostendam, quod omnī gratulationi propositum esse principio constitutum est; qua nimirum ratione per

F 5 singula

(b) D. Thomas 1, 2, q. 7 art. 3: *Tullius in sua Rhetorica assignat septem circumstantias, quæ hoc versu continentur: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Et si dissentit Vasquez, in 1, 2, Disp. 30 c. 1 n. 2. quem sequitur Lancicius, de quatuor F. c. 3.

(c) Emman. Thesaurus, in Arte Epistolari, lib. 2 c. I.

singula patronum amicumve honorare  
eique placere honorando possimus.

*Quis.*

Primum ergo, quis sit, cui scribitur; quis, qui scribit; videntum est. Utriusque autem considerare licet genus, & nomen, & patriam: studia quoque, aut munus, quo funguntur; famam, opes, valetudinem, pietatem, felicitatem. Sed imprimis in patroni voluntatem, arcanumque propensionem animi indagandum: videndum, quid amet ille, quid speret, quid fugiat. Nimius fuero, si persequar singula: quorundam exempla subjiciam. Ad virum religiosa vota professum. *Quid autem precabor, Plurimum Reverende Pater? Opes, honores, vitæ commoda precari non licet, hæc omnia contemnenti.* Ergo labores, & molestias, & quidquid asperum sibi evenire cupiunt, qui Christum sequuntur? vere dicam, inhumanum videtur. Precor ergo ea omnia, quæ magnum animum penitus impleant. Ad convalescentem emorbo: *Nescio, gaudere magis debeam, an dolere. summo me gaudio afficit depulsus morbus: dolere tamen cogunt morbi reliquia.* Superatum periculum ex animo gratulor; &, ut molestie quoque evanescant brevi, ex animo precor. Ad amantem brevitatis: *Non ero prolixus: scio enim, quam tibi grata sit brevitas, & ipse quoque amorem ejus a te haui.* Ad sublimioris gradus appetentem:

tem: *Faciant propitii Cælites, ut tantis dotibus fortuna respondeat, & utilitati publicæ magis magisque ea bona communicentur, quæ publica omnium admiratione celebrata prius sunt.* Ad virum antiqui moris & simplicitatis: *Solent nunc multi inania verba accumulare, & fucatis officiis implere epistolæ.* Ego neque scio hoc facere; nec, si scirem, auderem. *Candido pedatore, & sincerissimo voto quod vere opto, id sincere precor: Vivat diu & felix Dominatio sua.* Verbo, quod in morum, idem in verborum officiis verissimum est: *fere officia reperientur, cum quæretur, quid deceat, & quid aptum sit personis, temporibus, ætatibus.* ita optimus & eloquentiæ, & morum magister (d). *Nam ornatus,* ait M. Fabius Quintilianus (quem ego virum tanti facio, ut singulas ejus sententias totidem oraculis pares existimem) *näm ornatus omnis non tam sua, quam rei, cui adhibetur, conditione constat: nec plus refert, quid dicas; quam quo loco.* (e).

Quid agamus, quidque precemur, non est difficile videre: gratulamur enim, vel natalem, vel anni novi principium, vel solennes ferias. officio fungimur, patronum quærimus, vel grati sumus.

*Quid.*

(d) Cicero I. i de Officiis.

(e) Quintilianus I. ii Institutionum Oratoriarum c. i.

fumus. Precamur deinde, ut sanus sit  
is, cui scribimus; ut votorum summa  
potiatur; ut saepe illi hic dies redeat,  
ut DEUM faventem habeat; ut in  
fuis quoque sit felix. Sic peculiaribus  
votis prosequemur annum seu vitæ, seu  
seculi quinquagesimum: est enim quo-  
dammodo secularis, & sacer, ac bono  
præ aliis omni singularis: quo maxime  
omnium precari licet cum Venusino  
poeta, ut appareat *beata pleno Copia cornu,*

*meliusque semper*

*Proroget ævum (f).*

Si duo forte festa vicina simul gratula-  
bimur, dicemus: *Gemono vota hoc anno,*  
*eoquæ lætiorem fortunam precor, quod duplice*  
*simul officio fungor.* Ad senem decrepi-  
tum, qui mortem in votis habet: *Non*  
*annorum numerum, sed meritorum respicio.*  
*illi quidem tot ac tales fluxerunt Paternitati*  
*Vestræ, ut gloriæ face, & fortasse desiderio*  
*quoque, vixerit sat: ista vero sunt ejusmodi,*  
*ut quo plura cumulata sunt, eo majus apud*  
*ornes desiderium excitent Viro tanto fruendi.*  
Ad animarum Pastorem, cum natalem  
suum celebrat: *Redeat utinam toties hæc*  
*dies lætissima, quoties id vovet grex sub-*  
*jectus; & in suam utilitatem, Pastorisque*  
*vigilantissimi salute n a calo efflagitat.* Joan-

nes

(f) Horatius in ipso Carmine Seculari, quod  
est Epodon Ode 18.

nes Franciscus Loredanus , cum Grimanus Divi Marci Procurator renunciatus esset , quem ipse etiam Loredanus suo suffragio juverat , ita ei dignitatem novam gratulatur : *Postquam Excellentiae Vestrae suffragio meo servii , ut Procuratoris Divi Marci munere honoraretur : ratio possumat , ut calamo quoque solatum explicem , quo ea res me perfundit* (g).

Locus , unde aut quo destinantur literæ , ignorari certe a nemine potest . Symmachi verba sunt : *Utrum Mediolani etiam nunc tibi posito pagina ista reddenda sit , in ambiguo colloco.* (h) Illud quoque ejusdem a loco petitum est : *Redditæ sunt nobis literæ vestræ , cum in Ostiensis vice septimo degeremus.* (i) Ad Romæ degentem : *In publico orbis theatro consistis , in quo virtutes tuæ latere non possunt.* Qui edoно scribit , in qua insigne beneficium accepit : *Ipsi me sane harum cedium parientes admonent , & in clamare mihi alta voce videntur quotidie , ne , cui & quantum debeam , unquam oblivisci possim.*

Auxilia , quibus ad scribendum juvamus , non unius sunt generis . Aliquando auxiliis . socii , inter quos vivimus , nos ad scriben-

(g) Loredanus , Operum parte 6.

(h) Symmachus lib. i epist. 86.

(i) Idem l. 6 epist. 8.

bendum impellunt. *Soleo de dotibus tuis præstantissimis & sœpe, & libentissime sermonem habere: quod cum hac ipsa die coram Rogerio tuo contigerit, celare te non possum, quanta ille amoris ac reverentie significatione de te verba fecerit.* Alias mnemosynon aliquod nos excitat, ut amici sœpius recordemur. *Est in conspectu meo munus illud per se pretiosum, sed a donantis manu longe pretiosissimum, quod abiens reliquisti. In illo oculos defigo sœpissime, &, quantum amiserim, cum gemitu recognosco.* Ad patrulum, a quo ad literarum studia promotus est scribens: *Soleo non libenter accipere beneficia, quam accepta recolere. Quod cum facio, nemo prius mihi venit in mentem eo, cui uni in acceptis refero, quod a fortunæ meæ humilitate ad studia literarum translatus sum.* Si epistolam per amicum patroni mittamus: *Ut exarare auderem has literas, hortatus Balduini effect. ille temeritatem meam præstabit: ille sua commendatione epistolæ gratiam addet.* Sic Divus Ambrosius non parum exagge rat, quod Gratianus Augustus sua manu ad eum scripsisset. *Scripsisti, ait, tua totam epistolam manu, ut ipsi apices fidem tuam pietatemque loquerentur.* Sic Abraham sua manu quondam vitulum occidit, ut hospitiibus epulantibus ministraret: nec in ministerio religioso aliorum adjumenta quæsivit (k).

De

(k) D. Ambrosius Epistolarum lib. 5.

Cfr.

De cauffa quid dicam? nihil certe.  
 quæ enim cuique sit scribendi cauffa,  
 quis ipso scribente melius noverit? Ea  
 si nova fuerit, explicabitur; sin eadem,  
 quæ alias; id ipsum aliquando significa-  
 re juverit cum Longolio: *Eadem mihi*  
*nunc ad te scribendi cauffa est, quæ proxi-  
 me fuit* (l).

Plurimum sœpe refert, quo modo *Quomodo.*  
 scribatur. Expedit, ut sciat patronus,  
 qua animi reverentia, quam lætus,  
 tristisve; qua corporis valetudine; quo  
 rerum suarum statu, epistolam scriferit  
 cliens. de ipso etiam stylo dicere non-  
 nunquam opportunum erit. Animi sui  
 effigiem Nicolao suo Oudarto exhibuit  
 Lipsius, cum in hæc verba rescripsit:  
*Epistola tua non lætum me reperit, sed*  
*fecit* (m). Discipulus, musicæ quam  
 literarum studiosior: *De literario meo*  
*profectu siquid dicendum est, ab anno supe-*  
*riore hauâ abludit; varius nimirum, &*  
*quales musicæ meæ moduli, fere inconstans;*  
*summo tamen, quam imo propior.*

Tempus denique si spectamus, obser- *Quando.*  
 vatu dignum est, si primo ad hunc scri-  
 bimus;

(l) Christophi Longolius l. i epist. 10.

(m) Justus Lipsius Centur. I ad Belgas,  
 epist. 42.

bimus; si post intervallum: si scripsi-  
mus paulo ante. Anni etiam tempestas  
nonnunquam scribendi argumentum præ-  
bet. Sic ad Philippum quendam Ca-  
lendis Majis: *Quid precari debeam, ipsa  
anni tempestas dubitare non sinit. Florent  
omnia, & ipsa natura verno gaudio exultat.  
Idem ut Philippo meo semper eveniat, opto;  
semper ut floreat, semper gaudeat, & per-  
petuum sit hoc annorum ver.* Ignotus,  
qui primas ad alium literas dat: *Ignotu-  
scribo, non tamen ad ignotum. Fama, qua  
nihil magni diu sinit latere, tam illustre hic  
fecit Segartii nomen, ut ignoto licet vultu,  
mores tamen, & animum, decoraque per-  
spectissima habeamus.*

**Ars prima** Ex fontibus his ea potissimum hau-  
scribendi riemus, quæ nobis *hic & nunc* erant  
**est Sapien-** maxime propria, quæ patrono maxime  
tia. grata. Prudentia in primis opus est, ut  
id feligamus, non quod nobis ante alia  
placet: sed quod illi, cui placere nos  
ipsi volumus.

*Scribendi recte sapere est & principium  
& fons (n).*

Hoc magni magistri præceptum regere  
manum nobis in omni scriptione debet:  
quod unum si observatur, peccari non  
potest, quodque unum si negligitur,

nihil

(n) Horatius in Arte Poetica.

nihil recte fieri & laudabiliter potest. Recte scribendi *principium* est sapientia, quæ, quid scriendum sit, prima animo fuggerit. nec principium modo, sed *fons* quoque: quia, quæ bene inventa sunt, bene etiam exequi docet, & æterni fontis instar a scaturigine ad ostia usque fluminis alveum implet. nam cui rem dictavit sapientia, eidem & ordinem, & verba, & cultum suppeditabit. Quid est autem *sapere*, nisi, quid *hic & nunc* ad finem nostrum fit opportunissimum, perspicere? Ita Oratorem suum formavit Latinorum Rhetorum princeps Quintilianus, cuius aurea verba sunt: *Ad hæc omnia componendus Orator: & loco publico privatove, celebri an secreto; aliena civitate, an tua; in castris denique, an foro dicas, interest plurimum; ac suam quidque formam, & proprium quandam modum eloquentiae posse* (o). Idem æque servandum est in Epistola, imo magis: cum enim ad unum privatim scribatur, nullus est excusationi locus, qua purgare se Orator potest, non potuisse a se satisfieri omnibus. Debet ergo Epistola, ut finem tandem aliquando faciam, speculo esse similis, quod nitorem quidem eundem semper servat, nec ullius gratia desinit tersum esse  
 (o) Quintilianus Institut. Orator. I. cap. I.

esse & politum : imagines tamen alias aliasque assumit, ac toties vultum mutat, quoties res illi nova objicitur.

## EPISTOLA X.

*De pura Latinitate.*

**Quid sit  
Stylus.**

Eius fun-  
damentum  
est Latini-  
tatis.

**H**aec tenus Epistolæ materiam quæsivi, Ruæe : formam ac stylum supererunt investigem. Fundamentum styli sunt verba : cum enim *Stylus* recte videatur dici posse *constans elocutionis ratio* : eloqui certe non poterit , qui loqui non sciet. Prima ergo Latinitatis cura habenda est, eoque major , quo minor haberi solet. Odiosum est , quod dicturus sum : sed apud te, mi Ruæe , aperire non verebor, quod sentio. In hoc innumerabili literatorum populo , qui omnes latine sibi videntur scire , puræ veræque Latinitatis peritos quod putas te inventurum ? audacter dicam : sæpe e sexcentis

*numero vix sunt totidem , quot*

*Thebarum portæ , vel divitis vix Nili* (a).

Quod ne inique de erudita ætate nostra videar pronunciaffe : considera quæso mecum , Ruæe doctissime , quanta sit germanæ Latinitatis non modo comparandæ , sed vel internoscendæ difficultas,

quan-

(a) Juvenalis Satyra 13.

quantaque affiduitate & vigilantia opus fit, ut in tanta latine scribentium loquentiumque corruptela non plurimum vitii discentibus adhærescat. Non ego nego, retineri vulgo Latinitatis superficiem quandam & sonum: ut vinum plurima aqua corruptum, & quo uti in re divina non liceat, yini tamen colorrem aliquem, & saporem qualemcumque refert. Ne id quidem nego, esse in doctorum numero multos, qui sibi a barbarie caveant: qui non obvias quasque de trivio locutiones in sermonem infarciant; qui denique latine loqui & sibi optime, & mihi non pessime videantur. Sed qui linguam nullo vitio inquinent: qui castam ubique ad priscæ, quæ sola vera est, Latinitatis normam dirigant; verbo, qui nullo unquam barbarismo fordeant; eos vero & legimus raro, & vix unquam, iū tamen unquam, audimus. Discernendæ sunt Latinitatis ætates, aurea, argentea, ænea: secundum, quid inter ipsos Auctores veteres intersit: quod apud illos non reperitur, simpliciter rejiciendum. Scriptores ætatis aureæ veluti Consulares sunt in Republica literaria; argenteæ Senatorii ordinis; qui supersunt, Equestris. Quod primi illi suo calculo comprobant, extra omnem aleam, & aureum est. medios sequi laudabile, & saepe necessarium,

cum aurea ad manum non sunt. postremorum suffragium, et si prioribus impar, id saltem obtinet, ne, quæ illi usurparunt vocabula, damnari possint. Memoriae juvandæ gratia complecti tabella omnes juyat.

Latinitatis  
Aureæ  
Auctores  
XVI:

## AUREÆ LATINITATIS AUCTORES.

*M. Tullius CICERO*: qui verissime à Lactantio dictus est *Romanæ linguae summus auctor* (b) : de quo omnes cum Augustino exclamant: *Quid in Latina lingua excellentius Cicerone inveniri potest?* (c)

*M. Porcius CATO*, subhorridus: cujus fragmenta tantum habemus.

*M. Terentius VARRO*, qui a Seneca philosopho *dottiissimus Romanorum* (d); a Quintiliano *Romanorum eruditissimus, & peritissimus, lingue Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumque* (e) appellatur.

*T. LL.*

(b) *Lactantius Firmianus lib. 3 Divinarum Institutionum*, c. 13.

(c) *D. Augustinus, l. de Magistro, ad Adeodatum filium suum*. c. 5.

(d) *Seneca Consol. ad Helviam*, c. 8.

(e) *Quintil. lib. 10 cap. 1.* Idem affirmante *Lactantius l. 1 Inst. c. 6*: & *D. August. de Civitate DEI l. 3 c. 4, & l. 6 c. 2*.

*T. LIVIUS*, Historicorum longe Princeps, cuius *laetitia ubertas* est, ut loquitur Fabius (f).

*C. Julius CÆSAR*, purissimæ Latinitatis Historicus.

*C. SALLUSTIUS Crispus.*

*CORNELIUS NEPOS*, quem vulgus eruditorum *Æmilius Probuns* vocat.

### Poetæ.

*M. Accius PLAUTUS*. in quo cave antiquata verba, & risus tantum gratia ab illo usurpata. in ceteris *verborum Latinorum elegantissimus* (g) non a Gellio tantum, sed omnibus dicuntur.

*P. TERENTIUS*, quem *leðto sermone* uti in Comœdiis, ipse Julius Cæsar testatus est (h).

*T. LUCRETIUS Carus*. multa habet antiquata, ceteroqui purissimus.

*P. VIRGILIUS Maro*, Poetarum princeps, & Latinitatis alterum post Ciceronem columen.

*Q. HORATIUS Flaccus*, Lyricorum princeps; in cuius scriptis nulla est vox otiosa, nulla non suo loco posita.

G 3

*C. Vale-*

(f) M. Fabius Quintil. l. 10 c. 1.

(g) A. Gellius Noctium Atticarum l. 1 c. 7.

(h) Cæsar in fragmento carminis de Terentio.

C. Valerius **CATULLUS**, Albius  
TIBULLUS, & Sextus Aurelius  
**PROPERTIUS**.

P. OVIDIUS Naso: quem ab ætate  
aurea ad argenteam rejicere ausus est  
Franciscus Wagnerus (i).

**Argenteæ;**

**ARGENTEÆ.**

Q. CURTIUS Rufus.

M. Annaeus **SENECA**, RHETOR,

L. Annaeus **SENECA**, PHILOSO-  
PHUS, Rhetoris filius,

Cornelius **CELSUS**,

P. Vellejus **PATERCULUS**.

L. Junius Moderatus **COLUMELLA**,

M. Pollio **VITRUVIUS**,

T. PETRONIUS Arbitr.

**VALERIUS MAXIMUS**,

Pomponius **MELA**.

M. Annaeus **LUCANUS**.

D. Junius **JUVENALIS**,

A. **PERSIUS**.

**PHÆDRUS** Thrax, Augusti libertus,

C. Julius **HYGINUS**.

**Eneæ.**

**ÆNEÆ.**

M. Fabius **QUINTILIANUS**. cuius  
tamen Latinitatem, et si ætate ænea  
vixit, ego quidem ob eloquentiæ  
curam eximiam argenteæ quorundam  
non imparem duco.

C. PLL.

(i) P. Franc. Wagner, in Arte Latinitatis. c. 2.

C. PLINIUS Secundus, sive MAJOR,  
Veronensis, Naturalis Historiae au-  
tor. Ejus Latinitate uti sæpiissime  
cogimur, quod plurimis de rebus  
scriperit, quarum apud priores nulla  
fit mentio.

C. Cæcilius PLINIUS Secundus, seu  
JUNIOR, majoris nepos; Panegy-  
rici, & Epistolarum auctor.

C. SILIUS Italicus.

C. Julius SOLINUS.

C. VALERIUS FLACCUS.

P. Papinius STATIUS.

Sex. Julius FRONTINUS.

M. Valerius MARTIALIS.

C. Cornelius TACITUS.

L. Annaeus FLORUS.

C. SUETONIUS Tranquillus.

C. CLAUDIANUS.

Fl. VEGETIUS.

JUSTINUS.

AULUS GELLIUS; seu, ut non-  
nulli scribunt, AGELLIUS. Duris-  
simarum elegantiarum effector appell-  
atur a Joanne Ludovico Vive, do-  
ctissimo Hispano (k).

L. APULEJUS, Philosophus Plato-  
nicus. Novator opifexque verborum est  
eruditissimo Grammatico, Ludovico

Cælio Rhodigino (1) : Ludovico Vivi autem *in Asino* (*Asinus Aureus* celeberrimum est Apuleji opus, sed verbis rebusque impurissimum) *plane rudit* : *in aliis sonat hominem* (m).

Omitto alios quosdam, de quibus, an Classicorum nomine digni sint, *Grammatici certant*; sed infinita lite, quia non est *sub iudice*. Deterioris certe metalli sunt: & facilis profecto jaætura est, si Ammiani Marcellini ferrum, aut Macrobiæ fæces, aliaque his non meliorate præterierint. Iis vero, quos nominavi, honor habendus, quantum gradus cujusque postulat: nec ullum vocabulum civitate donandum, cui nemo illorum suffragabitur.

Nemini præter Classicos fidendum. Juniores enim Auctores, qui vel inclinante jam Latinitate, vel omnino collapsa scripserunt; in commendando fermone non plus habere ponderis possunt, quam in narrationibus juniores Historici: nam quæ a veteribus accepterunt, bona sunt; non quia apud ipsos leguntur, sed quia ita veteres tradiderunt: quæ vero de suo adjiciunt, profus mala sunt; quia nullum illis jus fuit nova fingendi. Nulli ergo Scriptorum, qui

(1) Cælius Rhodiginus, Antiquarum Lectio-  
num l. 4 c. 7.

(m) Ludov. Vives l. 3 de tradend. discipl.

qui Cl<sup>assicus</sup> non sit, ita fidendum est, ut in eo tanquam Latinitatis regula acquiesci possit. sint boni, sint Latini: tamen ubi timetur minime, scoria latet. Non de iis loquor, qui barbarismis a capite ad calcem operti sunt: eos vel tiro agnoscat vervecum in patria editos, tam crassum aerem lectori inhalant. Ad *Literas Obscurorum Virorum* de barbarie damnandas doctore opus non est: fatis illi suo fono se produnt, quos cum pri-  
mum audieris,

*Arcadiæ pecuaria rudere credas* (n). Sed a probatis alioqui Auct<sup>oribus</sup> periculum est, qui culti & nitidi cum videantur, maculam non sentienti aspergunt. Quod ego non eo fine commemo<sup>r</sup>o, ut de utilissimorum auct<sup>orum</sup>, quibus plurimum tribuo, gloria quidquam decerpam: sed quia, quanta circumspetione utendum sit; quamque, præter ipsos Veteres, suspecti esse nobis omnes debeant, nulla re clarius, quam illustrium virorum lapsibus admone-  
mur.

Quod si tales ac tanti hallucinantur, Multa quid de nostra nobis scientia promittamus? In omnibus quidem facultatibus, sed nescio an in hac potissimum, sapi-  
entissimus quisque Socraticum illud profi-

G 5 tebitur,

(u) Persius Satyra 3.

tebitur, nihil sibi esse certius, quam se nihil scire. Post multa librorum millia evoluta, post innumeratas in hanc rem animadversiones, post usum diuturnum, imo perpetuum, de plerisque vix audent statuere doctissimi viri: sed trepidant, & id unum respondent, legisse se quidam multa, sed longe longeque plura non legisse, & eorum, quae legerint, in re tam minuta non nisi confusissimam posse esse memoriam. Ad hanc ego modestiam pluribus te cohortarer, Ruæ sapientissime, nisi tanta esset tua prudentia, quantam admonere velle non modo supervacuum, sed indecorum est. Ego certe nihil soleo cogitare libertius, ac illud docti Arvernorum Pontificis:

*Nullus scit, mihi crede, quanta nescit (o),*  
 Nasutulis vero istis, qui si septem Ciceronis Orationes, easque ipsas oscitanter, perlegerint, Latinitatis se bene peritos putant; istis ego gratulor opinionem suam, & gaudeo plurimum, quod aureo vellere potiti sint dormiendo. Sed, mi Ruæ, periclitare homines istos: si semel & iterum interrogaveris, mendax sim, nisi ita obmutuerint, ut pscis in  
 Lado-

(o) Sidonius Apollinaris in Carmine ad Magnum Felicem Consulem.

Ladone vocalior illis futurus sit. Quæramus ex illis, rectene ad Constantium Augustum scripserit Julianus : *Ignosce; enim quæ cum ratione poscuntur, non tam fieri cupio, quam a te utilia probari & refra* (p). Exclamabunt nimirum, & Prisciani ferulam ad infaustum illud *enim* minabuntur. Quid si autem ostendero, ita saepe locutum esse aureum Plautum ? ille in Amphitruone ;

*enim uno sat est* (q).

ille in Bacchidibus :

*M. Nunc quid nos vis facere ? CH. enim nihil, nisi ut ametis, impero* (r).

ille in Aulularia :

*Enim mihi quidem aequomisi purpuram atque aurum dari* (s).

ille in Casina :

*Enim jam magis jam appropero, magis jam lubet &c.* (t).

ille in Mostellaria :

*TH. Accipito hanc ad te litem, TR. enim istic captio 'st* (u),

ille

(p) Apud Ammianum Marcellinum lib. 29  
cap. 21.

(q) Plautus Amphitr. Actu 2 scena 2.

(r) Bacchid. Actu 4 sc. 4.

(s) Aulul. Act. 3 sc. 5.

(t) Casinæ Act. 5 sc. 2.

(u) Mostell. Act. ult. sc. ultima.

ille in Milite Glorioſo:

*PAL.* *Quid metuis?* *SCEL.* *Enim ne  
nosmet perdidерimus uspiam* (w).

ille idem in Trinummo, idem in Persæ  
ſemel, iterum, tertio (x) : ut pigeat  
tam multa exſcribere. Pergamus. Si  
ego dicam, *cum ſcribebam, cum veneram,  
ſi videram* : nonne iſti me in ludū ad  
pueros ablegabunt, ut ab illis emendare  
diſcam, *ſcriberem, veniſsem, vidifsem?*  
Atqui Ciceronianum eſt: *Equidem, cum  
hæc ſcribebam, aliquid jam actum putabam* (y).  
Ciceronianum eſt: *Cum cupiebam quamvis  
iniqua conditione pacem* (z). Ciceronia-  
num eſt: *Cum, quid ſcriberem, non habe-  
bam* (aa). Ciceroniana fuit in Verrinis:  
*cum cœperat, cum venerat, cum fueram,*  
Ciceronianum eſt: *Si tibi illa probabantur* (bb). Ciceronianum denique illud  
de Cæſare: *Quem plane perditum ære alieno  
egentemque, ſi eundem nequam hominem au-  
daceſque cognorat, hunc in familiaritatem  
libentissime recipiebat* (cc). Pergamus. Si  
audie-

(vv) Milit. Glorioſ. Act. 2 ſc. 5.

(x) Trinum. Act. 5 ſc. 2, & Persæ Act. 2  
ſc. 2 & 5: & Act. 4 ſc. 4.

(y) Cicero Epistol. familiar. l. 6 epift. 4.

(z) Idem ibidem.

(aa) Idem earundem l. 11 epift. 8.

(bb) Idem l. 4 de finibus.

(cc) Idem Philippica 2.

audierint isti *rem incorporalem*, *hominem imperfectum*, *omnibus noxiorem*, *valdissime diligere*, *transfigurari*, *pænitentiam agere*, *convictores*, *egregius*, *turpificatum*, *insanitatem*, similiaque plurima: quotusquisque illorum non censebit hæc barbara? Ego autem legere me memini omnia in Senecæ, in Valerii Maximi, in Plinii, in Juvenalis, in ipsius Tullii scriptis (dd): quorum ego locos singillatim adscribere, multoque plura id genus e commentariis meis hoc transferrem, nisi fastidium tuum, mi Ruæe, timerem.

Unicum a me addi patere vulgaris Multa  
inscitiae argumentum, quo ostendam, nescimus  
notissimorum etiam verborum vim plena- <sup>vulgaria:</sup>  
risque non esse perspectam. Nemo est  
tam rudis, quin intelligere sibi videatur,  
quid sit *amare*, quid *reperire*, quid *egeſtas*,  
aut *gaudium*. Si potro urgeam, putentne  
idem

(dd) *Res incorporalis*, Seneca I. de brevit. vitæ c. 8. & Epist. 58, & 89, & 90. *imperfecti homines*. Idem lib. 2 de beneficiis cap. 12. *noxior*. Idem lib. 1 de Clementia cap. 13. *valdissime diligunt*. Idem I. de brevitate vitæ c. 8. *transfigurari*. Idem ad Lucilium epist. 6. *pænitentiam agere*. Valerius Maximus I. 1 c. 5, 8 & 1. 3 c. 4. *convictores*. Plinius junior lib. 2. epist. 6 *egregius pro magis egregie*. Juvenalis satyra 11. *turpificatus*. Cicero I. 3 de Officiis. *insanitas pro morbo*. Cicero Questionum Tusculanarum I. 2.

*idem esse amare & diligere ; reperire & invenire ; egestatem & paupertatem ; gaudium & lætitiam : pauci erunt , qui non ista pro eodem accipient , cum sint diversissima. Plus est amare , quam diligere : Cicero enim , ut scires , inquit , eum non a me diligi solum , verum etiam amari (ee). Invenire proprie dicimur , cum in id , quod volebamus , incidimus ; reperire , cum occurrit aliquid non quæsitum. ita cum Inachus in quæfitam diu frustra filiam tandem casu incidit , exclamat :*

*Tunc es quæfita per omnes  
Nata mihi terras ? tu non inventa,  
reperta es. (ff) :*

*Egestas multo est gravior paupertate , ut ostendit illud Senecæ ad Lucilium : Non est quod paupertas nos a philosophia revocet , ne egestas quidem (gg). Lætitia a gaudio tantum differt , quantum cursus ab ambulatione : siquidem , ut ait peritissimus antiquitatis Lactantius , lætitia nihil aliud est , quam profusum gaudium (hh). Quid autem de minus notis expectandum est , si ne pervulgata quidem & quotidiana satis tenemus ?*

Mi-

(ee) Cicero Epistol. famil. l. 13 epist. 47.

(ff) Ovidius l. 1 Metamorphos.

(gg) Seneca epist. 17.

(hh) Lactantius Firmianus Divin. Institut. lib. 6 cap. 15.

Mirum ergo non est, si Epistolæ, ut Multa scripta alia, ita barbarismis scatent, ut usurpamus velut in puerili facie pustulis a morbo <sup>mala.</sup> recentibus deformata, quidquid attigeris, in maculam incidas. In ipso literarum limine *Colendissimum* te facient, & *Observandissimum*, saepe & *Venerandissimum*, miserabili humanitatis genere, quod in scholis Solocēsium vocant. Deinde *festiva dies*, vel si assurgere altius coepint, *festiva lux* agetur: quod sane festivum est & lepidum: Latini enim dies *festos*; sermonem autem, aut hominem, qui venustus, urbanus, jucundus esset, *festivos* dixerunt. *Gratitudine* autem, & *ingratitudine* adversam ayersamque paginam ita implebunt, ut *memori* aut *grato ingratove animo* locus nullus superfit. quidni vero id faciant, cum ante illos id fecerit Joannes ille Barclajus, cuius effigies circumfertur glorioſiflmo hoc elogio condecorata:

*Gente Caledonius, Gallus natalibus, hic est,  
Romam Romano qui docet ore loqui.*

hic ergo vir talis ac tantus in Radibaniſ ad Meleandrum, epistola ſic ſcripſit: *ne ingratitudini usquequaſe fit præmium* (ii). Non ita olim, qui *Romano ore* loquebantur. Nisi forte Julium Firmicum recipimus: nam Valerio Maximo

*gra-*

(ii) Joann. Barclajus in Argenide l. 4.

*gratitudo & ingratitudo* perperam tribuntur. non magis hoc Latinum , quam illud Erycii Puteani : *Patronum & benefactorem expertus sum.* *benefactor erat,* priusquam amicus (kk). *Benefici erant inter Veteres plurimi , nullus uspiam benefactor.* Nihil hoc errore in epistolis hodiernis frequentius : *benefactoribus plena omnia , quibus non grates tantum dicunt , sed æstimari etiam illos a se , cum eodem Puteano affirmant.* *Quem amare ,* ait ille de amico , *non possum , nisi ut unum æstimem ; nec æstimare , nisi ut multos despiciam* (ll). Siquem æstimo , æque despicere possum , ac magni facere : æstimare enim nihil est aliud , quam considerare , judicare , rei pretium statuere. hinc *justi , injusti æstimatores* apud Ciceronem. hinc locus ille Quintilianus elegantissimus : *Cum in Iphigeniae immolatione pinxitisset (Timantes) tristem Calchanzem , tristiorem Ulyssem ; addidisset Melclao , quem summum poterat ars efficere macorem : consumptis affectibus non reperiens , quo digne modo patris (Agamemnonis) vultum posset exprimere , velavit ejus caput , & suo cuique animo dedit æstimandum* (mm). Nostri vero ut æstiment , ita & aggratulanter ; utrumque barbare. commendant se , &

recom-  
(kk) Eryc. Puteanus , Thyrso Philotesio 4.

(ll) Puteanus Thyrso 33.

(mm) Quintilianus l. 2 Institut. c. 13.

*recommendant*; Caroli Lovaniensis exemplo, qui Salutis loco, quam Veteres præmittebant epistolis, *humillimam recommendationem* præposuit: quo equidem humilius, id est, abjectius, dicere nihil potuit. Fit nonnunquam, ut, cum amico adversi aliquid evenit, humanitate moti *compatiantur* illi, ejusque infelicitati *condoleant*. Latinum est, *Caput milii condoluit, pes aut dens condoluit*.

*Condoluit tentatum frigore corpus* (nn). Sed aliis nemo Romanorum condoluit. Cicero valetudine Atticæ nondum restitutæ συμπατεχεῖ se ait (oo). quod imitatus Lipsius: *Redigeri diurno morbo συμπατεχω* (pp). Isti autem & *condolent*, &

*medio ne discrepet imum*,  
in extrema epistola, quoties pietas sua eos admonet, *in omnia sacra se diligenter commendant*. Foris etiam, ut dignum sit patella operculum, *ad proprias aut venerandas manus perferri Latinissimam epistolam* jubent.

Vitari tamen hæc omnia possunt: De hono-  
num est, quod effugere vix, ac ne vixrum titu-  
quidem licet. Quid illud? Dicam Pon-  
lis quid  
tani sentien-  
dum.

(nn) Horatius l. 1 Sermonum, Satyra 1.

(oo) Cicero lib. 12 ad Atticum, epist. 7.

(pp) Lipsius Epistolic. Quæstionum lib. 3  
epist. 11.

tanti verbis: *Haud scio, an ulla in parte*  
*scriptionis hujus majores ineptiae, crassiorque*  
*barbaries cernatur hodie, quam in superscri-*  
*ptione (qq).* eademque, & multo ma-  
jor, difficultas in iis honorum titulis est,  
qui patro more illis, ad quos scribimus,  
per totum Epistolæ corpus tribuendi sunt.  
Magna fuit Græcorum Romanorumque,  
nec minor est hodie Gallorum libertas,  
quorum lingua odiosam hanc pompam  
omnem exclusit, & vel ad Reges ipsos  
æquabilem semper personæ secundæ usum  
retinuit. Apud nos molestissimis, & saepe  
barbaris, MAJESTATIS, SERENITA-  
TIS, CELSITUDINIS, *Excellentiae*,  
*Dominationis*, *Paternitatis* nominibus,  
tanquam injectis compedibus, implican-  
dus est identidem orationis cursus: &  
Romano more non nisi ad amicissimum  
quemque uti est integrum, ceteris pu-  
ram illam & simplicem elegantiam, haud  
secus ac injuriam dignitati suæ illatam  
perofsis. Evidem, mi Ruæe, cum ad  
te tuique similes Epistola scribitur, fo-  
luto stylo provolare licet, & Veteres  
imitari dicentes: *Mi suavissime Atti-*  
*ce* (rr). *Mi dulcissime Tiro* (ss). *Amice*  
*magne*.

(qq) Jacobus Pontanus in cap. 58 Perusini de  
Epistolis.

(rr) Cicero I. 2 ad Attic. epist. 23.

(ss) M. Cicero, Tulii filius, Epistolarum  
patris familiarium I. 16 epist. 21,

magne (tt). Quorum exemplo Paulus  
Sacratus scripsit : *Murete præstantissime ; Murete eximie ; ætatis nostræ decus.* Scaliger ad Corasium : *Vale, unicum bonarum artium atque humanitatis decus.* Sabellicus ad Angelum Politianum : *Vale, Thuscī nominis decus.* Bartholomæus Scala ad eundem : *Mi Politiane, deliciæ urbis hujus.* Sunt hæc certe, seu amoris, seu honoris etiam significationem spectemus, omnibus nostris titulis longe potiora : sed quid usui facias ? Parendum est, & Romana illa personæ secundæ consuetudo usurpari prudenter non potest, nisi cum illam ipsam esse placitaram exploratum habemus. Devoremus hanc etiam inter ceteras molestiam : & Latinitatem humanitati, verba rebus, media fini, qui placendi studium est, æquo animo postponamus. Declinari quidem incommodum hoc aliquando poterit, & artificio obliquo eludi. Hujus generis diverticulum est : *Scio enim cui scribam* (uu). quod imitatus sum aliquando, cum nomine alieno scripsi : *Scio, quam benignos in me oculos hæc charta subeat; nec aliud mihi esse optandum, quam ut diu incolumem mihi præstet Superum pietas tam propitium Patrem, cuius*

H 2                  poten-

(tt) Curius ad Ciceronem, Epist. Ciceronis familiar. l. 7 epist. 29.

(uu) M. Brutus ad Ciceronem, Epist. Cicera-nis famil. l. 11 epist. 10.

*potente patrocinio dignus fieri majoribus indies  
incrementis studebo.* Eodem modo Plinius  
alicubi : *Scio, quem animum, quod horter  
ingenium* (ww). Verum hoc neque fieri  
ubique potest ; nec , quoties potest ,  
expedit : nam & ipsa titulorum dissimu-  
latio displicere nonnullis poterit : & af-  
fectatio , sine qua effugium hoc non  
sæpe queretur , ut in rebus aliis omni-  
bus , odiosa est . Audaëter proin , quo-  
ties usus fuerit , titulis indulgeamus :  
quos si quando barbaros esse quispiam  
tibi objecerit , tu eum jube accusare  
tempora , & , si maluerit , cum solis mor-  
tuis loqui : nos , quibus ad vivos scri-  
bendum est , unius vocabuli gratia amici-  
cos perdere nondum statuimus : & , si  
alterutrum est necessarium , verbo esse  
barbari , quam moribus malumus . An  
ego Amplissimo Antistiti negabo *Reveren-*  
*dissimi* nomen , quia Latinum non est ?  
& negabo in eo scripto , cuius finis  
unicus est honorare ? Multa sunt etiam  
rerum novarum nomina , quæ , nisi cir-  
citu ridiculo uti velis , latine prorsus  
efferri non possunt . Quo enim Cicero-  
niano nomine explicabis , amabo , quid  
sit *Academæ Episcopalis* aut *Electoralis Cam-*  
*cellarius* , quid *Capituli Ruralis Decanus* ,  
quid *Archigrammateus* , & sexcenta ejus-  
demmodi ? Itaque his vocabulis non  
minus

(ww) Plinius junior l. 1 epist. 3.

minus libere utar, quam nominibus propriis: quia non magis mihi suppetit Latina vox, qua *Cancellarium*, quam qua *Frisum* aut *Calepinum* appellem.

*Multa novis verbis præsertim cum sit agendum,*  
*Propter egestatem linguae, & rerum novitatem (xx).*

In ceteris, vero, ubi nulla excusat Quæ dili-  
 necessitas, sola standum est Veterum genitio in  
 auctoritate: quos si & legissimus omnes,  
 & lectos fideli memoria complectere-  
 mur: tum vero sublata foret tota Latini-  
 tatis dijudicandæ difficultas. Nunc,  
 in hac plerorumque socracia, huma-  
 næque memoriæ infirmitate, unum su-  
 pereft remedium, ut ad Frisos, Cale-  
 pinos, Kirschios convertamur. Voca-  
 bula, quibus uti volumus, singula in  
 illis requirenda sunt. videndum, cuius  
 Auctoris nomen adjectum sit: qui si  
 aureæ ætatis fuerit, bene habet; si ar-  
 genteæ, nondum est, quod formide-  
 mus. æneum, si meliore commutari  
 non poterit, servabimus denique. Ea  
 vero, quæ vel omnino prætermissa sunt,  
 vel auctoris Classici testimonio destitu-  
 ta, velis remisque, si Latini esse volu-  
 mus, fugiemus. Quanquam ego hic non  
 Kirschium modo, & Frisi epitomen,

H 3

sed

(xx) Lucretius lib. 1.

sed ipsius etiam Wagneri *Corpus Phraseologie Latinæ*, malæ fidei palam accuso: vocabulis, quibus primæ classis Auctores adscribi poterant, vix argentum aut æneum addunt. Innumerabilibus testimoniiis comprobare id possum: & in solo Wagnero amplius centum Latinitatis aureæ verba omissa deprehendi, non in prima tantum, sed & in secunda editione, plures fortasse centurias, si inquirere placeret, deprehensurus.

**De dubia** Siquis erit, qui exigui momenti esse fide ec- totam hanc admonitionem putet, ei rum, quos non magnopere refragabor: generatim *Lexicogra- phos* appellant. tamen Latinitatis promptuaria attingam, unoque prolati exemplo contentus, incertam eorum fidem tribus tantummodo verbis coarguam. Qui tamen apud se cogitaverit, in dijudicanda La- tinitate unum esse plerisque perfugium, *Lexicographos*: si eorum labare fidem in- telliget, næ ille dissidere & ipsis, & sibi incipiet, &, quod est in omni disciplina primum inter utilia, dubitare prudenter discet. Uno igitur, ut dixi, exemplo utar, in quo hallucinari plures vidi: idque ita illustrabo, ut argumento ap- pareat, quam incertum falsumque in rē certissima testimonium sit eorum, quos veluti sermonis latini Cynosuram respi- cere fere confuevimus. Fac, dissidere inter

inter se Latinitatis vel tirones, vel etiam præceptores duos, cum sermo de morte incidit, ambigentibus illis, dicendumne sit, [ Mortem cum vita commutare, ] an contra potius, [ Vitam commutare cum morte. ] Hæserunt hic multi, & titubarunt, amplexique pro veritate errorem, non sine dedecore abierunt.

Suggerere memoria dubitantibus poterat, quod auctor obvius, sed latinitatis custos fidissimus, ne adolescentulos quidem ignorare patitur. Jacobus is est Pontanus, qui volumine primo ( Progymnasm. LXXI ) his verbis cavere lapsum jussit : [ MORTEM CUM VITA COMMUTARE. Quidam phrasin non intelligentes inverso verborum ordine dicunt, vitam cum morte commutare ; hoc enim est, ex mortuo vivum fieri, vitam scilicet pro morte recipere. ] Quod ut ex ipso fonte hauriamus, adeundæ sunt M. Tullii Ciceronis ad familiares Epistolæ , quarum libro IV se quinto loco illa offert insignis, a Ser. Sulpicio ad Ciceronem eo tempore scripta, quo suavissimam filiam, Tulliam, immatura morte abstractam lugebat. Inter alia solatii argumenta & illud ponit Sulpicius, [ hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem

cum vita commutare.] Tolerabilem nimirum videri ait eorum fortis, qui tam calamitoso foedoque reipublicæ tempore, absque dolore alio, mortem adipisci pro vita, seu viæ jaſtura mortem veluti mercari possint. Vides hic primum, quis auctor sit verborum, unde tota hæc controversia manare cœpit. Non a Cicerone hæc, sed ad Ciceronem scripta sunt; ab eo tamen viro, qui aurea Latinitatis ætate se dignum præbuerit. Fuit Ser. Sulpicius, ut loco supra dicto Pontanus loquitur, [disciplina juris civilis eruditissimus, & oratione maxime limatus ac perpolitus.] De ipso autem loco nequis Codicūm varietatem cauſſetur, eaque *Lexicographos* excusari fortasse putet, quorum alii aliis voluminibus nitantur: nullum est a me prætermisſum exemplum, quo quidem potiri licuit, quin meis ipſe oculis usurparem. Omnia una vox fuit; veterum, novorum; a Germanis, Gallis, Batavis, Allobrogibus, Helvetis editorum. Atque ut, ubi de dubia aliorum fide queror, optima ego ipſe agam, exempla, quibus ad hanc rem sum usus, singillatim enumerabo.

Opera omnia Ciceronis, cura Lambini,  
& Gothofredi, Coloniæ Allobrogum, 1616 & 1617.

Opera

- Opera ejusdem omnia, formis elegan-  
tissimis, Lugdun. Batav. 1642.
- Opera item omnia Ciceronis, Basileæ  
ex officina Hervagiana, 1534.
- Eadem, formis item Basileensibus, pau-  
lo antiquiora, 1528.
- Epistolæ Ciceronis ad familiares, Edi-  
tionis Parisiensis nitidissimæ, 1547.
- Argentoratensis, 1559.
- Argentinensis alia, 1575.
- Lugdunensis Gallica, *cum Scholiis Mani-  
tii*, ex officina Antonii Gryphii,  
1576.
- Incpta, sed perantiqua, cum Animad-  
versionibus Philippi Melanchthonis.
- Lugdunensis Batavica, ex officina Plan-  
tiniana, 1599.
- Coloniensis ad Rhenum, 1615.
- Editio Augustæ Munatianæ, 1620.
- Dilingana, 1662.
- Amstelodamensis, ex recensione Græ-  
vii, 1689.
- Norimbergensis, Joannis Andreæ End-  
teri, nullo addito anni numero.
- Editio Augustæ Munatianæ alia, 1701.
- Lipsiensis, ad modum Minellii, 1713.
- Norimbergensis, 1737.
- Celeberrima denique, & quæ sufficere  
sola poterat, Editio Regia Parisina,  
*ad usum Delphini.*

Erant & aliæ ita vetustæ , ut editionis locus annusque , vel nunquam additus , vel temporum injuria abolitus esset . Plura Ciceronis Epistolarum exempla neque natus hic sum , neque desiderabam , quod horum ipsorum , in tanta locorum ac temporum diversitate , tanta doctissimorum hominum cura , e membranis & codicibus antiquissimis omnia conferentium , consensus & auctoritas nihil dubii relinquebat . Est autem in his omnibus : [ Mortem cum vita commutare . ] nec ullum scio interpretum , qui sive de verborum sensu , sive de incorrupta loci sanitate contendat .

Jam vero ad Promptuaria convertamur , & in re tam liquida illorum fidem experiamur .

Frissius , Voc. *Commuto* sic habet ;  
 [ Commutare vitam cum morte , sterben . Cic. ]

Kirschius , in suo Copiæ Cornu , Voc. *Commuto* , prorsus , ut ante illum Frissius : [ vitam cum morte , sterben . Cic. ] & Parte altera , Voc. *Sterben* : [ vitam cum morte commutare . ]

Jacobus Bayerus , in Pædagogo Latino , Voc. *Sterben* : [ vitam cum morte commutare . ]

Guil-

Guilielmus Morelius , in optimo Thefauro Vocabum omnium Latinarum Voc. *Commuto* ait : [ Vitam commutare cum morte , Sulpit. Cic. τὸν βίον μεταλλάσσειν . Isocr. & absolute , μεταλλάσσειν . *Mourir* , *Laisser la vie*. ]

Franciscus Wagnerus , in *Phrasologia* , neque prima tantum & altera ejus Editione , verum etiam ultima , quæ locupletissima est , Ratisbonensi , Voc. *Commuto* : [ Vitam morte commutavit. ] & Voc. *Morior* : [ vitam cum morte commuto. ] at Voc. *Mors* : [ Mortem - - - cum vita commutare. ]

Marius ipse Nizolius , qui totum Ciceronem transcripsit , servatis etiam , quæ in Tullianis voluminibus leguntur aliena , tamen Voc. *Commuto* addit : [ Mortem cum vita commutare. ] ubi in aliis Editionibus adjicitur *Epist. 50 a* , in aliis *Epist. l. 4 ep. 5* . In eodem Ciceroniano Nizolii Thefauro , Voc. *Morior* , nominata eadem *Epist. 50 a* : [ Vitam cum morte commutare. ] In emendationibus tamen & cultioribus Nizolii Editionibus , ut Lugdunensi Gallica 1588 , & Basileensi 1595 , depravatus hic locus posterior haud invenitur : ut credere liceat , secundum editorum esse tuber hoc , non Nizolii.

Mirum

Mirum tamen, in ejusdem Nizolii Thesauro Latinæ Linguæ, Voc. *Commuto*, ita denuo legi: [Vitam commutare cum morte. Sulpicius ad Ciceronem, lib. 4. 5. 7. Hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum esset mortem cum vita commutare.] Ita exemplum Venetum, quod e Sirenis officina 1551 prodiit. Ubi luculentum est mendum, ac manifestum: cum non pugnantia tantum afferantur, sed omnino contraria contrariis veluti testimonium tribuantur. Eadem tamen labes & in alios utilissimi Operis locos irrepserit: nam in eodem Thesauro Latinæ Linguæ, Voc. *Mors*, hæc leguntur: [Vitam cum morte commutare. Servius Ciceroni, lib. 4. 5. 7. ] & Voc. *Vita*: [Commutare vitam cum morte, Vide **COMMUTO**].

In alio quoque Thesauro Linguæ Latinæ, seu Foro Romano, opere maximo & laudatissimo, quod Roberto Stephano auctori tribuitur, tamen idem peccatum est. Voc. *Commuto*: [Vitam commutare cum morte. Sulpicius ad Ciceronem, libro 4. 5. 7. ] eodemque modo Voc. *Mors*: [Vitam cum morte commutare. Servius Cic.

Cic. lib. 4. 5. 7. ] denique & Voc.  
*Vita* : [ *Commutare vitam cum morte.*  
*Vide Commuto.* ]

Antonius Schorus , in Thesauros Ciceroniano , monetam hanc adulterinam inesse passus est : cum enim V. *Commuto* recte omnia , ut sunt in Sulpicii literis , recitasset ; veluti poenitens bene dicti , infra Voc. *Mors* inquit : [ *Vitam cum morte commutare.* ] Teste vero utitur eodem utrinque , loco nimirum Sulpicii ex Ciceronianis ad familiares Epistolis.

Severinus Hellinx , in Ciceronianæ Phrae-  
 feos varietate. Voc. *Sterben* : [ *vitam  
 cum morte commutare.* ]

Sed quod omnium maxime & miror , &  
 doleo , Jacobus ille Facciolatus , qui  
 inter omnes Promptuariorum artifi-  
 ces plane regnat , ubertate , industria ,  
 delectu summus , & ipse navim ad  
 hunc scopulum appulit . Nescio  
 quomodo ille etiam , ut ceteri , Voc.  
*Commuto* : [ *Vitam cum morte com-  
 mutare , pro mori , Sulpit. ad Cic. l. 4.  
 Fam. epist. 5.* ] Neque semel errat ,  
 sed Voc. *Mors* iterum : [ *Serv. ad  
 Cic. lib. 4. fam. epist. 3.* *Vitam cum  
 morte commutare.* ] Atque id Edi-  
 tione sexta , Opere toties limato , &  
 expolito ,

Ste-

Stephanus Doletus , V. *Mors*: [ Mor-  
tem cum vita commutare. f. 50.]  
quod apud illum brevissimo operæ  
compendio familiarium Tullii Epi-  
stolarum paginam 50 aversam signi-  
ficat.

Wolfgangus Schönlederus , in Prom-  
ptuario , Voc. *Sterben* , totidem  
verbis : [ mortem cūm vita com-  
mutare. ]

En Latinitatis castæ sponsores & vindic-  
es, quos ubi omnes audieris, nisi certiora  
aliunde didiceris, statuere nihil  
possis. Duo foli , quos in extremo  
agmine collocavi , vera & certa re-  
ferunt ; sed si numerum spectes , suc-  
cumbunt & obruantur. Ceterorum  
pars Ciceronem pro Sulpicio nominat ,  
pars ipsa sibi repugnat , omnes a veritate  
desciscunt.

Fortasse scriptoribus his idem impo-  
suit , quod nunc quoque multos fallit.  
*Mutandi & commutandi* verba fere sic  
usurpari vident, ut id, quod præcedit &  
adest , commutari eo dicatur , quod su-  
pervenit & accedit. Ita domum pecunia  
mutat, non qui ædes emit, sed qui pos-  
sessas vendit. Commutabat togam cum  
fago , qui posita toga e pace ad bellum  
se transferebat. Eadem igitur ratione,  
quoniam vita prior est, mors succedit,  
vitam

vitam cum morte commutari, non mortem cum vita, dicendum esse suspicantur. Verum in lingua & grammaticæ regulis traducere ab aliis ad alia argumentum non licet: neque enim, ratione hic, sed usu omnia definuntur,

[ Quem penes arbitrium est, & jus,  
& norma loquendi : ]

ut in aurea ad Pisones epistola Horatius canit. Non ideo, quia *oculis captus*, *mente captus*, *auribus & membris omnibus captus* recte dicitur; etiam *fortuna captus*, *fama, patria, honore, amicis*, aut *libris captus*, latine dicetur de eo, qui harum rerum usu privatus sit. nec qui *dare pœnas DEO vindici* latinum est, etiam *dare supplicium DEO vindici* æque licebit. Nimirum illa bonorum Auctorum testimoniis nituntur, ista destituuntur. *Commuto* autem non de vita solum & morte, sed aliis quoque nonnullis ita effertur, ut Sulpicius fecit. Ipse Tullius de Q. Metello, in ea Oratione, quam pro P. Sextio habuit, ita verbum istud contexuit: [ Videbatur ea conditione tam fortis fuisse, ut cum patriæ caritate constantiae gloriam commutaret. ] id est, ut famam viri constantis comparare mallet, quam publicæ utilitati consulere. *ad suam enim*, inquit ibidem Cicero, [ ad suam

suam enim magis quandam ille gloriam, quam ad perspicuam salutem reipublicæ spectarat. ] Caritatem itaque patriæ omisit, constantiæ gloriam aucupatus est: ut Tullia, cum vitam amisit, mortem oppetiit, hanc cum illa commutavit. Addo alium e sacro Doctore locum, disertissimo illo & Ciceroniano Hieronymo: qui in epistola ad Nepotianum vocabulum nostrum eodem modo construxit, ita scribens: [Cave, ne hominum rumusculos aucuperis, ne offendam DEI populorum laude commutes.] Ubi perspicuum est, non offendam DEI humanæ laudis originem & caussam dici, sed ne rumusculorum desiderio in DEI offendionem incurritur, moneri. Vetus ergo vir sanctus, & veræ gloriæ magister sapientissimus, populari laude nil nisi divinam sibi offendionem mercari. Quod cum Sulpicii dicto de vita & morte belle congruit, Promptuariis vero nostris æque ac Sulpicius ipse, & omnia Ciceronis exempla, omnino repugnat. Quam ego rem si duxisse videbor longius, opportune succurrit Hieronymi ejusdem intentia, ad Lætam scribentis: [Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna confistere non possunt.]

Sed his omnibus libenter supersedeo, ne longissimam Epistolam, quæ modum jam dudum excessit, pergam facere longiorem.

giorem. Ignosce, Ruæe humanissime: abripuit me argumenti copia & necessitas. Nihil jam addo, nisi unum hoc, verbum nullum chartæ committendum esse, cuius testem idoneum ex antiquitate producere non possimus: quem si memoria non fuggerit, bonus Frisius salutandus est. Ad singula autem verba hoc? Plane ad singula: quoties enim id omiserimus, vel barbari erimus, vel non nisi casu Latini. Quis autem laborem tam improbum non exhorrescit? Ille, qui non cum Bartholo rudere volet: *De verbibus non curat Jctus* (yy); ille, qui Ciceronis verba perpendet: *Non enim tam præclarum est scire latine, quam turpe nescire* (zz).

## EPISTOLA XI.

*De vera brevitate.*

Quæris ex me, Ruæe, quem Stylum potissimum probem. Quæro ex te vicissim: quæ tibi administrandæ rei familiaris ratio potissimum placet? quidam profusi sunt; avari alii: alii, quem par

(yy) *Quam plausibiliter dixit Bartulus, De verbibus non curat Jurisconsultus!* Lüdov.

Vives de Caufis corruntarum artium l. 1.

(zz) Cicero de Claris Oratoribus.

par est , sumptum faciunt . Hi soli , inquis , laude digni sunt : peccant enim , & qui transiliunt limites , & qui non attingunt . Quod tu de nummis , idem de verbis ego . Tria sunt celeberrima Styli genera ; Asiaticum , Atticum , Laconicum ; suæ quodque genti convenientissimum . Nam Asiae populi , ut erant molles simul ac tumidi , dissolutum amplumque styli genus sectati sunt . Attici contra , qui nil nisi incorruptum ferre possent , rejectis supervacuis omnibus , pressum ac sanum dicendi genus , in quo nec redundaret quidquam , nec deesset , requisierunt . Lacones demum , homines frugi , idem sentiebant , quod apud ingeniosissimum poetarum Hercules Acheloo respondet :

*Melior mihi dextera lingua.  
Dummodo pugnando superem , tu vince  
loquendo (a).*

Virtuti & armis dediti , eloquentiae laudem Atheniensibus reliquerunt ; adeo quidem , ut , cum Athenis Pericles , Iso- crates , Lysias , Demosthenes , Æschines , aliique magno numero Oratores clarissimi florissent ; Sparta , ad Ciceronis usque tempora ne unum quidem eloquentiae laude insignem protulerit (b).

Gra-

(a) Ovidius l. 9 Metamorphos.

(b) Cicero in Bruto.

Gravitate sua contenti , nil prope nisi apophthegmata loquebantur : nec alium orationis cultum admittebant , nisi qui a concissima brevitate & acrimonia oritur. Adeo certum est , ut singulorum hominum , ita totarum gentium indolem non aliunde certius , quam e lingua & stylo , quo utuntur , dignosci posse.

Asiaticam illam , ut cum Cicerone **Asiaticus** loquar , *απεραντολογιαν* , seu fine carens , nusquam tem loquacitatem , nemo non damnat. Utinam , quam damnatur , tam & fuge-  
retur ab omnibus. Verbo quidecum tenus assentiuntur omnes Tullio , aspernandos esse *eos* , *quorum vitiosa abundantia* est , *quales Asia multos tulit* (c) : at cum suggestum ascenderunt ; cum poema pangere , cum vel epistolam scribere coeperunt : verbis inutilibus replet omnia , & eandem cramben semel ac iterum , tertio , quarto apponunt. Paucorum est , mi Ruæe , crede mihi , paucorum est , nullum uspiam verbum otiosum relinquere. Scio , quantus tu famissimæ hujus brevitatis sis artifex : sed & scio , quam pauci , non dico Corinthum , sed Athenas has adeant.

Hoc erat vegetum illud Atticorum **Atticus** dicendi genus , quod omnes Veteres ubique ,

I 2 tantis

(c) Cicero de Optimo Genere Oratorum.

tantis laudibus in cælum ferunt, dignum urbe illa orbis magistra ; dignum illis ingenii, unde *humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, utque in omnes terras distributæ putantur* (d) ; dignum denique Athenis illis, quo *tanquam ad mercaturam bonarum artium* (e) ipsi Romani liberos suos mittere, florentibus licet Romæ tum maxime scientiis artibusque omnibus, constanter solebant. Hæc est forma illa Attica, quam tanto studio quæri a de teſtatur Cicero ſepius, quærique ab omnibus jubet. de hac excludat : *Attici nobis propositi ſunt ad imitandum* (f). De iisdem paulo ante dixerat : *Incorrupta sanitate ſunt, quod est proprium Atticorum.* Quibus verbis paulo post ſubjungit veluti generalem regulam, *bene dicere eſſe Attice dicere.* Magister vero Rhetorum Fabius, cum dixifset de Atticis : *nihil inane aut redundantia ferebant :* ita deinde pronunciat : *Nemo igitur dubitaverit, longe eſſe optimum genus Atticorum ; quippe quorum proprium ſi judicium acre terſumque* (g). Cui precepto diu post suffragatus eſt elegans Symmachus : *Velim tibi verborum copiam displicere. Nam quid agat, quo ſe vertat*

(d) Cicero pro L. Flacco.

(e) Idem l. 3 Offic.

(f) Idem de Opt. genere Orat.

(g) Quintilianus l. 12 Institut. Orat.

*ubi immoretur cassa rebus oratio? Odi in parvo corpore longa velamina. Illa vestis decenter induitur, quæ non trahit pulvrem, nec in humum demissa calcatur.* (h) Quod hi præceptis, idem exemplo monent, omnium gentium, omnium seculorum præclari Auctores; præclari non futuri, si garruli & vacui esse voluissent. Quid otiosum reperias in Thucydide, in Demosthene, in Xenophonte, in Aristotele? Inter Latinos quam plena omnia in Livio, quam necessaria in Cæfare, quam in Horatio densa, quam nervosa in Cicerone! Non nominavi Virgilium, ut peculiare de illo subjicerem elogium eruditissimi Joannis Ludovici Cerdani, Virgilianorum interpretum longe optimi. Is de Marone suo sapientissimo sapienter & ipse, *Cum sermo iste, inquit, de tautalogiis occurrit, semper acriter pro Virgilio pugno. Apage, ut ille bis aut ter dicat idem: nihil est enim deformius.* (i) Quam vere hoc ultimum! quam ad utriusque nostrum, Ruæe, mentem; ipsiusque naturæ, quæ supervacua refugit semper, instinctum! *Nihil perfecto, nihil est deformius, quam honora- tis convivis cassas nuces apponere, & multis nihil dicere.* Multum didicit, qui hoc unum alte demisit in animum,

(h) Symmachus I. 3 epist. 10.

(i) Jean, Ludov. de la Cerde in l. 2 Æneidos.

*Vacuum*, ut in rerum natura, ita in eruditii hominis scripto, ne tantillum quidem spatii obtainere posse.

**Laconicus** Venio ad Lacones, quorum præsuo loco: ceps loquendi modus non tam brevitas dici debet, quam obstinata & minax taciturnitas. Hujus generis sunt, quæ Erycius Puteanus his verbis recenset: *Archidamus etiam, cum intellexisset Eleos velle Arcadibus auxilium ferre, paucis verbis deterruit: Archidamus Eleis, Bonum est quiescere.* Philippi Macedonum Regis minax ad Lacedæmonios epistola erat: *Si exercitum in fines vestros duxero, stragem & vastitatem dabo.* Responderunt unica, sed magnamina voce, *EI, id est, SI duxeris.* Iterum, cum idem Philippus quæsivisset, an in urbem a Spartanis recipiendus esset, ingentibus literis rescriperunt OT, *id est, NON.* Verba ista, an fulmina sunt (k)? Ita Puteanus in ea ipsa Diatriba, quam in *Laconismi*, cui penitus erat ipse immeritus, defensionem vulgavit. In stylum hunc mirus exarsit quorundam amor Justi Lipsii, & hujus ipsius Puteani scriptis accentus. Pulcrum esse putant isti, si, quod olim adeo displicuit satis omnibus, *quædam tam subito definunt ut non brevia sint, sed abrupta* (l). Placent illis,

(k) Puteanus Diatriba γ de Laconismo.

(l) Seneca Rhetor, præfat. in l. 2 Controversi

illis, qui ab eloquentiae magistris summis irrisi sunt, *minuti corruptique sensibili* (m). Gemmæ illis videntur *abruptæ illæ sententiae, & suspiciosæ, in quibus plus intelligendum est, quam audiendum:* (n) quas ille ipse Seneca, qui tam intemperanter eis est usus, veritatis tamen evidentia compulsus damnavit. Ego de eloquentia hic non loquor: sufficere credo Ciceronis judicium, qui, ut dixi, eloquentiam Laconibus in universum ademit. Et sane oratoriam illam vim, cuius est toto impetu ad persuadendum conniti, velle in Laconicas has stricturas concludere, non minus videtur ridiculum: quam si quis bella non sarissis, & sagittis, & fulmineis ensibus; sed pugnunculis aut acubus gerenda esse contendat. Sed gratulantis est placere, non persuadere. Audio. hinc, cum ad eum scribetur, quena Laconici generis amantem sciemus; prudentia exiget, ut illius desiderio indulgeamus. Quanquam ego tum quoque conditiones quasdam requiro.

*Brevitas mihi amata* (placet enim ab <sup>Si tamen</sup> illius Lipsii verbis ordiri, quo majo-<sup>materiæ &</sup> rem patronum non habet Laconico <sup>personis</sup> <sup>conveniat;</sup>

I 4

rum

(m) Quintilianus I. 8 c. 5.

(n) Seneca Philosophus epist. mihi 114.

rum secta). *Brevitas mihi amata*, & illi qui sapiunt: si tamen cum judicio ea usurpata & modo, peccari enim & hic posse scio: & ut in sagitta mittenda, non minus aberrat, qui citra scopum, quam qui ultra jaculatur: sic in scribendo, quisquis pauciora quam pro re, aut plura dicit. Modum autem a materie spatio (o). Quapropter ibidem sapienter monet: *Si ad ignotos aut magnates scribitur; uberior & floridior paullo epistola sit. quia stricta illa brevitas apud hos tales, non abest a contemptu.* Cumque nemo minus hoc argumenti & personarum discrimen videre solet, ac ætas tenerior: prudentissime Lipsius eodem loco non modo non adhortandos eos ad hoc styli genus, sed etiam absterrendos censet. Viderint proin, an si bi patrocinetur Lipsius, qui in quacunque materia, & ad quoscunque, eundem sibi modum licere autumant. sci-  
ant enim, Lipsium abrupta hac brevitate non idcirco usum, quasi hoc optimum styli genus crederet; sed quia, cum a viris doctis de Auctorum locis & re grammatica saepissime consulentur; recte vir sapiens siccæ materiæ sicco pressoque stylo respondit. Audiant verba Lipsii, in conclusione *Quæstionum suarum Epistolicarum* ita scribit: *Non excusabo in scribendo brevitatem. nam ea,*

(o) Lipsius Institutionis Epistolicae c. 7.

*me judice , propria est materiæ hujus. An in syllabis corrigendis , aut literis commutandis , periodos adhibeam , & illum ambitum Ciceronianæ orationis (p) ? Quam procul laudem à spinosa disputatione grammatica distet gratulationis jucunditas , nemo non videt. Sic ergo temperanda erit hæc brevitas , etiam cum patrono placitura scitur , ut arrogantiam non spiret , & obsequii loco , quod præfert epistola , nescio qua contumaci gravitate quodammodo insultet legenti. Eadem illa acrimonia , & ille fastus , quæ in vibrantibus Laconum responsis placent ; gratulanti haudquaquam conveniunt. Vedit hoc Aurelius Symmachus , qui , et si brevitatem delectetur magnopere ; tamen Vir Consularis , & Romanorum Cæfarum amicitia clarus , agnovit nimirum , in scribendis epistolis nihil esse decoro potius : quod acute advertit violari facilime , si amputatis verbis loquare : *scribendi quippe brevitas* , inquit , *magis fastidio , quam officio proxima est.* (q)*

Affectatio deinde summo studio ca- si affectata venda est : perit enim artis gratia , sitione cœ ars apparet. Vel in pronunciatione , reati gestu ,

I 5

gestu ,

(p) Lipsius Quæstionum Epistolicarum I. § ep. 26.

(q) Symmachus I. i epist. 46.

gestu , incessuque , offendit nos affe-  
ctatio : quia nescio quomodo dedecet ,  
quidquid accersitum est : non potest  
autem placere , quod non decet . Pu-  
teanus quendam e Thyrsis suis Philo-  
tesiis sic auspicatur : *Osculum libo , vale  
dico , amaturus.* (r) Placuerat mihi , si  
verbum ultimum non assuisset . quis  
enim naturalis ac verus amor ita un-  
quam locutus est ? quis ab amico di-  
scedens ita velut ad circinum comme-  
titur vocabula ? quis tam docte , tam  
concise blanditur , & inter oscula etiam  
eruditus est ? Ipse Lipsius , dum Van-  
derburchium quendam patre orbatum  
consolatur , inter alias extincti laudes  
ait , *regi , patriæ , curiæ , ministrum , ci-  
vem , collegam erectum , quem haud facile re-  
parabunt* (s). Nisi tanti viri reveren-  
tia me absterret , simile hoc dicerem  
illi , quod apud Reusnerum legitur :

*Eva , Satan , Christus , vitam , peccata ,  
salutem ,  
Perdidit , induxit , reddidit : huic sit  
honor.* (t)

Occurrit hic mihi ipsius Lipsii de cuius-  
dam scriptis censura : *Ornata sunt , sed  
non*

(r) Puteanus Thyrso 60.

(s) Lipsius Centur. I ad Belgas epist. 20.

(t) Reusnerus in Grifhologia.

*non sine affectatiuncula, quæ mihi semper  
odiosa. (u)*

Aliud est cognatum brevitati vitium, & obscuritas. Multos certe audimus de ritate. Langio conqueri, interprete ad illas penetrandas opus esse: evenitque prorsus, quod ipse de se præfagiit, ut in eo displiceat *obscura brevitas*, & *latentis sensus perplexa ambiguitas* (x). Sed Langium satis excusat, quod addit, scripsisse se ad eos, qui intelligerent. Illis vero nihil molestius, qui sine ullo ad lecturos respectu ænigmata comminiscuntur, & epistolam dimidiatis sensibus contexunt, quam sine Delio Natatore nemo intelligat. Hi deinde homines, quod sine stomacho nunquam audio, de brevitate gloriari audent: quasi non primum sit brevitatis officium, ut quam ocyssime in rei cognitionem ducat: ipsorum autem truncati sensiculi, ter quaterque relecti, quid sibi auctor voluerit, nondum satis ostendunt. Verissime eruditissimus Lipsius: *Semel hoc imbibé: summum in sermone vitium esse, non solum non capi, sed etiam aegre capi.* (y)

Hæc

(u) Lipsius Centur. I ad Belgas, epist. 64.

(x) Langius Centur. I epist. I.

(y) Lipsius Institut. Epistol. c. 8.

**Quæ sit  
vera bre-  
vitas;**

Hæc vitia, si absint, nihil ego malim, quam paucis multa dicere. Id admiratus in Bruto Tullius exclamavit: *Quam multa quam paucis!* (z) Sed hoc ingentis judicii & artis opus est, quod non nisi a viro perquam docto perficitur: semper enim medium, ut est tutissimum, ita rarissimum & difficillimum. *Posse brevibus multa complesti,* inquit alio cubi Marsilius Ficinus, *viri absolute docti opus* (aa). Quod ipsum qui consequetur, is non jam laconicum stylum, sed vere Atticum sectari dicendus erit, nam hæc & Thucydidis, & Demosthenis propria laus fuit, Atticorum utique: & perfectissimæ eloquentiæ, a qua longissime absuisse Lacones semel & iterum e Cicerone monui, semper existimatum est, ut verborum numerum sensuum copia æquet, saepe & superet. *Hæc principalis facundia computubatur*, ut eruditus Sidonius Apollinaris observat, *cui, paucis multa cohibenti, curæ fuit cauſam potius implere quam paginam* (bb). Acria ergo illa Laconum dicta non totum scriptioonis corpus constituent, sed distincti potius: quemadmodum sal & pi-per non cibi sunt, sed cibos condunt.

Ipsos

(z) Cicero ad Brutum, Epist. Familiar. I. 14 ep. 24.

(aa) Ficinus præfat. in Protagoram Platonis.

(bb) Sidonius I. 4 epist. 3.

Ipsos certe Lacones continua hujus generis oratione usos non comstat : sed quoties vehementius loqui , vel ad repellendos æmulos , vel ad admonendos suos volebant , amentatum ejusmodi temum intorquebant . At orationes totæ Laconum , quas apud Thucydidem legimus ( si modo Laconum potius sunt , quam ipsius Thucydidis ) naturales omnino & explicatæ sunt , nihilque minus , quam nostrorum , si ita loqui licet , Pseudolaconum affectationem redolent .

E quibus efficitur , reiecto Asiatico quæ adulteru , eam ubique brevitatem sectanterina . dam , quæ uti nil adesse redundans , ita nil abesse necessarium aut utile finat . Cicero scripsit : *Cum mirifica Senatus , incredibilis Italicae totius , singularis honorum omnium consensio in me tuendo extitissent .* (cc) Nostri Lacones sine dubio dicerent : *Cum pro me Senatus , Italia , boni omnes consensissent .* gaudent enim , si decerpere syllabas aliquot potuerunt : sed infringi a se admirabilem illam prioris sententiæ vim non vident . ut enim , si sagittæ pennas detraxeris , idem relinques spiculum ; sed non idem vulnus infliges , adempto impetu : ita si *consensionem* nudam posueris , idem cum Cicerone dices ; sed pigrum & parum efficax hoc ver-

(cc) Cicero Epistol . Familiar . l . 1 epist . 9 .

verbum ad lectorem perveniet , ablato illo , quo oculos feriebat , *mirifici* , *incredibilis* , *totius* , *singularis* consensus apparatu . In vera ergo brevitate dijudicanda non numerare verba oportet , sed ponderare : nam qui id unum putat summæ artis esse ut quam paucissima proferat ; is nunquam dissertiorem se fuisse putet necesse est , quam si uno verbo *Gratulor* epistolam totam absolvebit . Nemo brevitatis regulam meliorem excogitavit Erasmo Roterodamo : qui vere brevem Epistolam censet eam , *quæ sic est scripta , ut iterum atque iterum relecta , tamen non satiet.* (dd) Quæ ego de styli ratione eo saepius accuratiusque perpendere soleo , quo rarius aureum illud scribendi genus Atticum , non in Epistolis modo , sed carminibus etiam , & orationibus , ac præsertim in sacris concionibus reperire hodie licet . Utinam multi sint , quibus illud elogium possit tribui , quod apud Ciceronem extat de L. Craffo , quem ille ceu perfecti Oratoris ideam proponit in libris de Oratore : *Quodque difficile est , idem & perornatus , & perbrevis* (ee) . fine ornatus enim hispida est brevitas & insulsa : etenim *non inornata debet esse brevitas , alioqui sit indolita.* (ff)

EPI-

(dd) Erasmus de Ratione conscribend. epistol.

(ee) Cicero in Bruto.

(ff) Quintilianus l. 4 Institut. Orator. c. 2.

## EPISTOLA XII.

*De Simplicitate Epistolæ.*

Quod augurabar, evenit, ut novæ mihi Epistolæ argumentum e prioris fine tanquam e semine nasceretur. Nobile quidem semen, e præstantissimo Quintiliani fundo petitum: quod utnam a me ad maturitatem, ut postulas, perduci possit. Damnavi Fabii verbis brevitatem indoctam, qua laborant destitutæ ornamenti epistolæ. Petis tu, quem illis ornatum convenire existimem, ut doctæ cultæque citra affectationis notam appareant. Evidem, Ruæe suavissime & ornatissime, respondere tibi duobus verbis poteram, exornandæ epistolæ instrumentum certissimum fore, Imitationem Tui. Sed quoniam non laudes a me tuas, quibus mihi quidem nihil potest esse jucundius; sed meam sententiam requiri scio: ornari ego Epistolæ nostræ stylum tribus præcipue rebus censeo, Venustate, Ingenio, Simplicitate. Venustatem voco, quæ ex amœna verborum compositione nascitur. Ingenii est, novo aut illustri proponendi modo admirationem moveare. Simplicitas candorem præsefert, & in hoc laborat potissimum, ut illaborata

Ornamenta  
ta stylis Ve-  
nustas, In-  
genium,  
Simplici-  
tas,

ta

ta esse omnia videantur. Venuſtatis propria eſt harmonia, Ingenii splendor, ingēuitas Simplicitatis. Solam hac Epistola poſtremam exequar; priores, ſi ita volueris, alias tractaturus.

**Simplici-  
tatis exem-  
pla.** Nihil eſt nobilius simplicitate; quia nihil naturae convenientius. Epifola officiosa, quae nihil habet candoris, ſinceri animi fidem non facit; &, quod ſequitur, in legente amorem non excitat. Sed regulas hic fruſtra quæſieris: etiſ enim in artibus omnibus nihil eſt artis diſſimulatione diſſicilius, hoc iſum tamen arte doceri non potest: naturae & prudentiae munus eſt. Quod unum licet, exempla ſubjungam, & e Græcorum Latinorumque præcipuis ea excepam, quae ad illuſtrandum naturalis hujus candoris naturam aptiſſima videbuntur.

Atque utinam ſuperereſſent magni illius Aristotelis epifolæ, quo viro in re litteraria nemo unquam, mea quidem ſententia, major fuit. Extabant illæ Demetrii Phalerei ſeculo, qui tanti eas fecit, ut, cum inter Epifolæ proprietates poſuiffet facilitatem illam familiarem & candorem, tanquam exemplum illius proponat Aristotelem. (a) quod in illo

(a) Demetrius Phalerus *πρεփηντας*, ſeu de locutione,

illo viro tanto est admirabilius , quanto sublimius fuit ejus ingenium. Sed nimirum ejusdem artificis est, ascendere , & se demittere : siquidem non timore inflatus ascendat , sed vera excellentia sublimis. Aristotelem vero , ut in ceteris , quæ attigit , omnibus ; ita in Epistola , admirari oportet : ad imitandum quærendi sunt alii.

Ceterorum quoque Græcorum mira est in epistolis simplicitas. Videre id licet in literis Hippocratis Medici , Platonis , Democriti , Heracliti , Diogenis , Cratetis , & Epicuri fragmentis. Salsissime simul & simplicissime Diogenes de Menodoro ita scripsit :

### *Diogenes Apollexidi.*

*Rogarunt me juvenes Megarenses , uti Menodorum philosophum tibi commendarem. Ridiculam commendationem ! Hominem enim esse , & forma cognosces ; an & philosophus , e vita & sermone . qui enim secundum nos virtute est praeditus , ipse se commendat. Paris est simplicitatis , sed liberrimi oris , & Cynicum prorsus , illud ad Alexandrum Magnum , qui datis ad Diogenem literis , ut in Macedoniam ad se veniret , invi- taverat. Quantum itineris , respondet*

K

Dio-

Diogenes, Athenis in Macedoniam, tantum  
est e Macedonia Athenas. Sed humaniora  
videamus.

Apollonius Tyaneus, etsi audacissi-  
mus in epistolis & asperrimus, Titi  
tamen Imperatoris virtutem ita lauda-  
vit: *Cum neque ob bellum confectum, neque*  
*hostium effusum sanguinem laudari velis:*  
*Prudentiae tibi coronam impono. tu enim,*  
*unde deceat coronari, agnoscis.* Quæ major  
potest cogitari auctoritas, quam quod  
Philosophus coronam imponere Au-  
gusto audet? Permisit hoc Apollonio  
illorum temporum simplicitas, & arca-  
num artificium delicate laudandi, dum  
liberrime ac velut Censor Cæsaris loqui  
videtur.

Ciceronis candidissimam ad Basiliū  
epistolam nec puerilis ætas ignorat: *Tibi*  
*gratulor: mihi gaudeo. te amo: tua tueor.*  
*a te amari, &, quid agas, quidque isthic*  
*agatur, certior fieri v Vale.* (b). Est  
hoc Tullio proprium, nisi argumenti  
gravitas postulet, in ma illa sua elo-  
quentia speciem int familiaritatis  
conservet. Proposuerū nimirum, am-  
pla illa eloquentia in cauſas forenses  
rejecta, epistolas tenui filo deducere.  
ita ipse ad Pætum: *Ipsa iudicia non solemus*  
*omnia tractare uno modo: privatas cauſas,*

(b) Cicero Epist. familiar. l. 6 epist. 15.

*Eas tenues, agimus subtilius; capit is, aut famæ, scilicet ornatius. epistolas vero quotidianis verbis texere solemus (c).* Ipsum vero ornat us neglectum pro ornamento esse, aperte docet alibi, cum de amicissimi sui Pomponii Attici scriptis hoc fert judicium: *Horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornatae hoc ipso, quod ornamenta neglexerant (d).*

Ipse Cæcilius Plinius, tantus alioqui styli compti amator, familiariter ad amicum scribit: *Verum hæc haec tenuis. Quid præterea novi? Quid? nihil, alioqui subjungerem (e).*

Quod exemplo Plinius, idem documento commonstrat imitator Plinianæ venustatis Symmachus: *Ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quandam debet imitari, in forensibus vero acuere arma facundiæ (f).*

Eloquentissimus Latinorum Doctorum Hieronymus in epistola ad Mimerium & Alexandrum: *Ita vobis quasi mihi loquor.*

Quæ omnia veterum seu exempla, An & no-  
seu testimonia si considero: simplicitatis illa  
tis usum, acuta præsertim hac ætate, & utendum  
in sit.

K 2

(c) Cic. Epist. famil. l. 9 epist. 21.

(d) Idem l. 2 ad Atticum, epist. 1.

(e) Plinius lib. 3 epist. 14.

(f) Symmachus l. 7 epist. 9.

in argutiarum amorem effusis plurimorum ingeniis, video in gratulando non nisi rarum esse posse. Achilles Homerius hospitibus suis, et si regibus rex, non nisi bubulam apponit; sanum equidem & robustum cibi genus, illorumque temporum simplicitati consentaneum. hodie vero quis, non dicam virorum principum, sed e tabernariorum fæce convivium pari frugalitate instruere velit? Mutantur nimirum cum temporibus humana ingenia, quibus seryire, quantum potest, oportet eum, qui placere desiderat. Imo non modo stylus simplex fordet hodie plurimis; sed & scribentis animum in suspicionem adducere apud delicatos quosdam poterit, quasi exigua sit in eos reverentia, ad quos accurate & diligenter scribere non dignetur. Solerter id notatum ab Roterodamo: *Sunt, qui neglegunt & illaboratam epistolam sui contemptum interpretantur.* (g). Veteres ergo, si poterimus, imitabimur: sin minus, laudabimus annos veteres, nostris utemur. Imo idem faciemus, quod illi, sed alia via: quid enim aliud simplicitate quærebant illi, quam ut legentium animis insinuarent se, ac placerent? idem est nobis propositum: sed ad eundem finem diversis

non

(g) Erasmus Roterodamus l. de Ratione conscrib. epistolarum.

non nihil mediis aliquando utimur, quibus & ipsi Veteres usuri fuerant, si in hanc & temporum, & gratulandi necessitatem incidissent. Memorabile hujus rei exemplum est apud Aurelium Symmachum. venerabatur ille, ut par est, Veterum simplicitatem : sed cum eam suo seculo parum videret probari, nauitas imitatus est, qui cum ventos velis non possint, vela ventis aptant. amoenum ergo & floridum scribendi modum amplexus, sanitatem Atticam lenociniis quibusdam corrupit: & quanquam pecare se non nesciret, placendi tamen studio stylum calamistris inussit. Supererant tum nihilominus pauculi quidam antiquitatis clientes, qui incorruptum judicium adversus temporum suorum torrentem conservarant. inter quos insigni vir doctrina Julianus, qui auream Veterum gravitatem, rejectis phaleris omnibus, tum quoque sectabatur. Laudavit Julianum Symmachus ; sed cur imitari detrectaret, his verbis eleganter exposuit: *Trahit enim nos usus temporis in argutias plausibilis sermonis. Quare cœquus admitte linguam seculi nostri, & deesse huic epistolæ Atticam sanitatem boni consule. Dignum est, ut haec ipsa apud te culpæ confessio profit mili ad venia facilitatem: Quod si novitatis impatiens es, sume de foro arbitros, mihi an tibi styli venia poscenda sit.*

*Sed crede, calculos plures merebor, non ex æquo & bono, sed quia plures vitiis communibus favent (h). Quod si de illo seculo dici potuit, quid fentiendum nobis est, qui Symmacho duodecim ipsis seculis posteriores sumus? Vere Emanuel Thesaurus, præsertim de Italia sua: Nostrum seculum ingeniosum magis quam prudens (i). Erit ergo hoc ipsum sapientis*

*desipere in loco.*

Quando & quæ simplicitas non ament: tum vero mutandus omniprensanda. no stylus est, & simplicitati penitus indulgendum, qua sola istis placeri potest. Simplicitas autem non sordida est & rustica, non barbara & perturbata: talis enim si esset, epistolarum simplicium plus satis legeremus. Vera simplicitas fucata non est; pulcra tamen, & nitida, ipsoque candore amoena; splendorem non habet, sed suavitate non caret: admirationem non excitat, sed naturali sua facilitate delectat. Absit, ut insulso quosdam, qui obvium quidque in chartam effundunt, & obsoletissimis formulæ literas texunt, simplicium nomine quisquam dignetur: non sunt isti fani, sed

(h) Symmachus l. 3 epist. ix ad Julianum.

(i) Emanuel Thesaurus in Arte Epistolarib. 5 c. 1.

sed jejni. *Non efflagito phaleras*, ait Erasmus, *sed idem non fero pannos* (k). Non dissimulant hi artem, sed non habent: & a vere simplicibus tantum distant, quantum phthisicus a frugali. Expectas fortassis, Ruæe, quam simpliciter ego hanc de Simplicitate Epistolam conclusurus sim. ego vero perquam aperte & candide. audi enim: Vale, Ruæe suavissime, meque, ut facis, ama. Satis ne hoc simpliciter? ex animi certe & mei, & tui sententia.

## EPISTOLA XIII.

*De Ingenio.*

**A**lterum ornandi styli instrumentum feci Ingenium: de quo, quoniam ita tibi placet, Ruæe, in hac Epistola differam. Duo a me petis; Auctores, & fontes. de utroque dicam, & addam tertiam, Scopulos, ad quos offendunt, qui inconsiderato ingenii cursu feruntur.

Si de ingenio sermo est, nemo ex Epistolarum Auctoribus nominari ante P. Ovidium Nasonem meretur. Sed quoniam hic de Epistolis poeticis agendi locus non est, ceteros e Veteribus ad-

K 4

ducam

(k) Erasmus Roterod. de Ratione conscrib. epistol.

*Sed crede, calculos plures merebor, non ex aequo & bono, sed quia plures vitiis communibus favent (h).* Quod si de illo seculo dici potuit, quid sentiendum nobis est, qui Symmacho duodecim ipsis seculis posteriores sumus? Vere Emanuel Thesaurus, præsertim de Italia sua: *Nos irum seculum ingeniosum magis quam prudens (i).* Erit ergo hoc ipsum sapientis

*desipere in loco.*

Quando & quæ scribere, qui exquisitum orationis cultum simplicitas non ament: tum vero mutandus omniprensanda no stylus est, & simplicitati penitus indulgendum; qua sola istis placeri potest. Simplicitas autem non fordida est & rustica, non barbara & perturbata: talis enim si esset, epistolarum simplicium plus satis legeremus. Vera simplicitas fucata non est; pulcra tamen, & nitida, ipsoque candore amoena; splendorem non habet, sed suavitate non caret: admirationem non excitat, sed naturali sua facilitate delectat. Absit, ut insulso quosdam, qui obvium quidque in chartam effundunt, & obsoletissimis formulæ literas texunt, simplicium nomine quisquam dignetur: non sunt isti sani, sed

(h) Symmachus l. 3 epist. 11 ad Julianum,

(i) Emanuel Thesaurus in Arte Epistolari lib. 5 c. 1.

sed jejuni. *Non efflagito phaleras*, ait Erasmus, *sed idem non fero pannos* (k). Non dissimulant hi artem, sed non habent: & a vere simplicibus tantum distant, quantum phthisicus a frugali. Expectas fortassis, Ruæe, quam simpliciter ego hanc de Simplicitate Epistolam conclusurus sim. ego vero perquam aperte & candide. audi enim: Vale, Ruæe suavissime, meque, ut facis, ama. Satis ne hoc simpliciter? ex animi certe & mei, & tui sententia.

## EPISTOLA XIII.

*De Ingenio.*

**A**lterum ornandi styli instrumentum feci Ingenium: de quo, quoniam ita tibi placet, Ruæe, in hac Epistola differam. Duo a me petis; Auctores, & fontes. de utroque dicam, & addam tertiam, Scopulos, ad quos offendunt, qui inconsiderato ingenii cursu feruntur.

Si de ingenio sermo est, nemo ex Epistolarum Auctoribus nominari ante P. Ovidium Nasonem meretur. Sed quoniam hic de Epistolis poeticis agendi locus non est, ceteros e Veteribus ad-

K 4 ducam

(k) Erasmus Roterod, de Ratione coœscrib. epistol.

ducam in medium, qui ingenii laude  
 celeberrimi vulgo habentur. Eorum  
 antiquissimus est L. Annæus Seneca, in  
 quo nihil non elaboratum est ac torna-  
 tum. Documenta grandia brevibus sen-  
 tentiolis includit, & quæ perraro in  
 eodem Auctore reperias, gravitatem  
 maximam magno ingenio jungit. Hic  
 ipse ingenii splendor, Stoica illa Philo-  
 sophia sustentatus, effecit, ut a multis  
 Annæi sententiae oraculorum loco, lo-  
 cutiones gemmarum instar haberentur.  
 Documenta, quæ ad Philosophiam Mo-  
 ralem pertinent, laudare hic supercedeo,  
 utilissima utique, & omnium consensu  
 summopere commendata. Stylus vero,  
 est ille quidem illustrissimus, sed adeo  
 phaleratus, ut naturale in illo vix quid-  
 quam occurrat. Displacebit vox hæc  
 amatoribus Senecæ, sed iis tantum, qui  
 affectata a naturalibus distinguere nesci-  
 unt. Videtur hoc de se judicium timuisse  
 Seneca, cum ad Lucilium suum, veluti  
 amolitus a se affectatæ artis suspicio-  
 nem, ita scripsit: *Qualis sermo meus esset,*  
*si una sederemus, aut ambularemus, illabo-*  
*ratus & facilis; tales esse epistolas meas*  
*volo, quæ nihil habeant accersitum, nec*  
*fidum.* (a). Ita ille nos de se vult cre-  
 dere: fed

*Non obtusa adeo gestamus pedora Pæni.*

Res

(a) Seneca epist. mihi 75.

Res loquitur, neque prodest excusatio, quam facta evertunt. Quod in Ovidio tam acriter reprehendit Seneca, plus justo illum induluisse ingenio: idem peccat ipse, longeque Ovidio gravius. Si testibus opus est, dabo gravissimos, & ex omnibus seculis. Primus esto Quintilianus, qui, ut de Catone dixit Cicero, unus mihi præ centum milibus est. Longum est, totum ejus locum exscribere (b): unum alterumque sufficiet. *In eloquendo*, inquit de Seneca, corrupta pleraque, atque eo perniciofissima, quod abundant dulcibus vitiis. addit deinde: *Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. nam si aliqua contempssisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset; consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur.* Audiant hoc, qui Seneçæ stylum fovent tantopere & osculan- tur: Quintiliano id non eruditorum est, sed puerile judicium. Non honorificentius de illo sensit Gellius, qui, præter alia multa, *inepti*, & *insipidi*, & *insulsi hominis* (c) haud sane decoro elogio Senecam exornavit. Julius Cæsar Scali- ger, perspicax vir & pereruditus: *Senecam vero, quem objicis, ad mores nostros*

K 5

for-

(b) Quintil. l. 10. Institut. Orator. c. 1.

(c) A. Gellius lib. 12 Noctium Atticarum, cap. 2.

*fortassis admittimus componendos : quid autem de ipsis eloquentia sit statuendum, Quintiliano magis eredam, quam tibi (d).* Acutus judex, Sfortia Pallavicinus, scripta Senecæ vehementibus illis odoribus comparat, qui initio quidem delectant, sed paulo post vi nimia fatigant cerebrum & obtundunt. (e). Dominicus Buhursius, emunctæ naris Gallus, Scriptorum omnium, qui argutias captant, immoderatissimum facit Senecam. *De acutis porro, inquit, Scriptoribus præ Seneca effusiores novi neminem. Placere vult quovis apice : sententias se ipsis politas ita perpolit, ita in pleno lumine collocat, ut ultra tendi nequeant (f).*

Plinii ; Omitto plura de Seneca, ut ad Plinium veniam : qui quanto est inferior Cicerone, tanto superior Seneca. Macrobius, ubi varia enumerat dicendi genera, Ciceronem a Plinio ita distinguit : *Copiosum (styli genus) in quo Cicero dominatur ; breve, in quo Sallustius regnat ; siccum, quod Frontoni adscribitur ; pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur (g).* Plinio Symmachum recte

(d) Scaliger in *Ciceronianum Erasmi*.

(e) Pallavicinus l. de *Stylo & Dialogo*.

(f) Bouhours in *Methodo recte cogitandi, Dialogo 3.*

(g) Macrobius lib. 5 *Saturnal.*

recte conjungit: Cicero vero haudquam sola copia a Plinio distat. sed id non est hujus loci. Amoenitate Plinii ita capiuntur nonnulli, ut eum Ciceroni parem, &, si superis placet, etiam superiorem facere non reformident. quod indignissimum judicium olim Ludovicus Vives in quibusdam gravissima censura perstrinxit (h). Idem tamen alibi, cum ostendit, quid utilitatis percipi e quovis Auctorum celebrium possit; fateatur de Plinio, eum ante alios *ad comitatem* (i) adipiscendam prodesse. Cum ergo in Officiosa nostra Epistola non majestas in scribente, sed comitas requiratur: non est obscurum, quanti hic faciendus ille sit, qui comitatem præ aliis instillare posse, a Critico, & erudito imprimis, & minime blando, judicatus est. Rochus etiam Perusinus, tametsi in Plinio *subtiles & argutas sententiolas, & quosdam flosculos* tantum inesse dixisset (k); alio tamen loco mirifice eum collaudat hunc in modum: *omninoque in M. Tullio plus naturæ, in hoc plus diligentiae videtur extitisse: nec ulla videtur melior ejus epistola, quam quæ est longior* (l). Quibus allorum elogiis

(h) Vives l. 3 de tradendis disciplinis.

(i) Idem ibid. lib. 4.

(k) Perusinus de scribend. epist. c. 62.

(l) Idem ibid. c. 64.

elogiis unum de meo adjiciam, quod non parum in Plinio miror. Imitatus est ille toto studio Cornelium Tacitum, ut ipse de se confitetur (m) : cumque soleant imitatores plerumque archetypi sui vitia non referre tantum, sed superare : Plinio rara felicitas obtigit, ut & virtutes Taciti in se exprimeret, & ab ejus vitiis abstineret. quâ re factum, ut, cum reprehendi Taciti nullum finem faciant censores fani, in Plinio præter flosculorum studium nemo quidquam accuset.

Symma-  
chi ; Poli-  
tiani;

Sidonii.

Addam Plinio, quos Balbinus addidit, Aurelium Symmachum, & Angelum Politianum: *qui suavitate commendantur, & brevitate*; ut inquit Balbinus (n). Decem seculis inter se disjunctos, imitatione Plinii, & amoenitatis curâ conjugit. Suavior Angelus; Symmachus gravior, ut Virum Consularem, & Romanæ Urbis Præfectum decebat. C. quoque Sidonium Apollinarem ingeniosis Epistolarum scriptoribus annumerarem, qui Plinium & Symmachum, ut ipse de se testatur, imitandos sibi proposuit: nisi Latinitate usus effet tam horrida, ut saepe intelligi absque interpretis ope vix ab erudito possit.

Uni-

(m) Plinius 1. 7 epist. 20.

(n) Bohus. Balbin. in Verisimilibus c. 2.

Universo autem & de his, & aliis, qui Gratula-  
ingeniosa luxurie exultant, Auctoribus tionem  
ita ad nostrum finem judico. Etsi deceat in-  
peccarent illi, & flosculis plus æquo genium.  
studenter: in gratulatione tamen esse  
usui & exemplo possunt. dedecere  
siquidem illos potuit, quod gratulan-  
tem decebit: & multa sunt in argu-  
mento serio vitia, quæ alio translata  
in virtutes transibunt, quemadmo-  
dum coronæ & delibuta unguentis cæ-  
faries, quæ probro ducebantur militi-  
bus, convivantes ornabant. Gratula-  
tio inter Epistolas eundem locum ob-  
tinet, quem inter Orationes Panegy-  
ricus: Panegyrico autem quis nescit  
convenire imprimis, quæ in Oratione  
gravi tolerari non possunt? Magistrum  
audiamus. *Illud genus, inquit de Pane-  
gyrico Fabius, illud genus ostentationi com-  
positum, solam petit audientium voluptatem:*  
*ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatum-  
que orationis exponit (o).* Nimirum fine  
metienda sunt omnia: alia persuaden-  
di sunt instrumenta, alia placendi. In-  
primis juvenili ætati licentia hæc per-  
mittitur, placetque effervescentis mu-  
stum, dum generosum vinum expecta-  
tur. sapienter ad Symmachum filium  
Aurelius Symmachus: *Scintillare acumi-  
nibus atque sententiis epistolas tuas gaudeo:*  
deceat

(o) Quintilianus I. 2 Instit. c. 3.

*decet enim loqui exultantius juvenilem calorem* (p). Quae sunt autem *acumina* hæc, quibus scintillant epistolæ? *Sententias* ipse Symmachus nominatim prodidit: ab illis ergo, quoniam casus ita tulit, initium capiamus.

Ingeniosam famam faciunt Sententiae; Ingens lumen est, ut Orationis, ita & Epistolæ, ingeniosa Sententia, seu generale de moribus pronunciatum. Quod si tamen ad superiorem scribitur, quod in Epistola nostra fere usuvenit, ingenti artificio opus est, ne, quod vehementer dedecet, docere illum velle videamur. Sic ergo intexanda erit sententia, ut non velut erudituri legentem; sed tanquam vel ad monentes corrigentesve nosmetipsos, vel dictorum nostrorum rationem redentes, id agamus. Ita Cicero ad Torquatum: *Si enim bene sentire, recteque facere, satis est ad bene beateque vivendum: vereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere* (q). Eodem modo alibi inquit: *Sed tamen, vacare culpa, magnum est solatium* (r). Sic in gratiarum actione dicere ad patronum non dedecebit: *Hac ego me cogitatione frequenter consolor,*

in-

(p) Symmachus l. 7 epist. 9.

(q) Cicero Epistol. Famil. l. 6 ep. 1.

(r) Idem earundem l. 7 epist. 3.

*ingratum non esse, qui referre non potest  
sed qui, quod potest, non vult.* Occulta  
est illa sententia, quam in epistola qua-  
dam Joannis III. Lusitaniæ Regis inve-  
nio: *Intelleximus, te gloriæ nostræ ( si quis  
in humanis est ) fore percupidum (s).* Di-  
gnum Christiana pietate & prudentia  
dictum, & eo pretiosius, quo minus ab  
Rege expectari poterat.

Proxima est sententiae Animadversio: *Animad-  
hoc enim solo differunt, quod illa ge- versiones;  
neralis est, & ad mores refertur; ista  
peculiaris fere, nec moralis.* Ingenio-  
fissime Plinius de Arria, celeberrima  
illa Pæti uxore, quæ ne maritum ægro-  
tantem turbaret, filii mortem coram  
eo fortiter dissimulabat; *Composito, in-  
quit, vultu ridebat, tanquam orbitatem fo-  
ris reliquisset (t).* Idem de avunculo  
suo, Plinio Historico, cum in summa  
ceterorum omnium perturbatione nul-  
lum ipse sollicitudinis indicium præse-  
ferret: *hilaris, aut, quod est aequem ma-  
gnum, similis hilari (u).* quanquam hic  
animadversioni sententia quoque im-  
plicatur. De Liciniano, Senatore nu-  
per & prætorio, tunc exule, & rhe-  
to-

(s) Joannes Rex ad Angelum Politianum,  
Epistolarum Angeli libro 10.

(t) Plinius l. 3 epist. 16.

(u) Idem l. 6 epist. 16.

toricam in Siculo ludo docente, acutus ait: *Nunc profitetur, seque de fortuna præfationibus vindicat* (x).

**Paradoxa;** Multum ingenii habent Paradoxa, seu quæ contra opinionem sunt omnium: si modo frigida non sint, aut falsa. Sed in hæc incidere perquam rarum est. De morte Virginii, clarissimi viri, Plinius ait: *Si tamen fas est, aut flere, aut omniō mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est* (y). paradoxum utique, Virginii mortem dici non posse mortem: quod tamen & ingeniosissima ratione confirmat; &, ut audiatur facilius, non simpliciter afferit, sed dubitantis more proponit. Eiusdem generis est tota Plinii ad Ferocem epistola: qui cum elegantissimas ad Plinium literas dedisset, in iisque scripsisset, omitti a se penitus studium literarum: subtilissimus Auctor in hæc verba respondet. *Eadem epistola & studere te, & non studere significat. ænigmata loquor ita plane, donec distinctius, quod sentio enunciem. negat enim, te studere: sed etiam polita, quæ nisi a studente non potest scribi: aut es tu super omnes beatus, si talia perfidiam & otium perficis. Vale* (z).

Prom.

(x) Plinius l. 4 epist. 11.

(y) Idem l. 2 epist. 1.

(z) Idem l. 7 epist. 13.

Promptum simul ingenium , & le-*Eruditio*  
 stionis copiam indicat Eruditio , cum  
 Historia , Poesi , Auctorumve celebrium  
 verbis in rem nostram utimur . Fran-  
 cisco Petrarcha copiosiorem scio ne-  
 minem ; cui viro tantum debet Respu-  
 blica literaria , quantum e postrema-  
 rum ætatum Auctoribus haud scio an  
 nemini : ille namque sepultas artes re-  
 vocavit ab inferis , verusque fuit , ut  
 a Baldeo appellatur , *Latii assertor* (aa).  
 Ex ejus epistolis mirum est quanta hau-  
 riri eruditio queat : nullus est prope-  
 modum Græcorum & Romanorum ,  
 qui vel fago vel toga in annalibus clari-  
 rus fit , cujus effigiem in Petrarchæ  
 Epistolis non alicubi spectes . Cicero-  
 nis ad Atticum Epistolæ eruditione  
 plurima refertæ sunt : quia scilicet &  
 ad virum eruditissimum scribebantur ,  
 & saepe ad modum ænigmatis confor-  
 mandæ erant , ne , si forte in hostium  
 manus incidissent , proderentur quæ  
 non debebant . Sic , postquam Cæsar  
 aggressus armis Rempublicam erat , ait  
 Cicero , cum Tyranno rem esse , ad-  
 ditque : *qui quidem incertum est Phalarim-*  
*ne an Pisistratum sit imitaturus* (bb). Qui  
 re-

(aa) Jacobus Balde in Castro Ignorantie,  
 n. 53.

(bb) Cicero ad Atticum l. 7 cap. 18  
 l.

recordabitur, crudelissimum fuisse Phalarim; Pilistratam contra tyrannidem quideam in Athenienses exercuisse, vendicata sibi per vim potestate regia, quatenus humaniter usus est: is agnoscat, quam ingeniose Cicero animum de Cæsare dubium significarit. Amcenum est illud Erasmi Roterodami, qui cum a Christophoro Longolio pluribus esset laudatus, eruditus respondet: *Ad hanc tabulam ipse mihi non nihil blandior, non quod illi prorsus credam, sed quod juvet Apellis manu depingi.* Poetica eruditione usus est ad Tacitum suum Plinius: cum enim eum hortatus esset, ut ne inter venandum quidem literarum memoria omnino abjiceret, epistolam his verbis concludit: *Experieris, non Diana magis montibus quam Minervam inerrare* (cc). Politianus quoque elegantem & acrem colorem mutuatus est a Poesi, cum in quosdam sui seculi homines, qui, cum florere tum coepissent cultiores literæ, barbariem tamen malebant, ita inveheretur: *Sic pene quidam homines obbrutuerunt, ut glandem adhuc defendant repertis frugibus* (dd). Idem Virgiliano versu abusus est elegantissime, cum ad Caffandram Venetam, puellam doctissimam, ita scripsit: *Philoso-*

(cc) Plinius 1. i epist. 6.

(dd) Angelus Politian. Epist. 1. 8.

*losophiam vero sic tenes, ut & defendas acriter quæstionēs propositas, & impugnes vehementer: audesque viris concurrere virgo (ee).* mirifice delectat eruditum lectorem tacita hæc Cassandræ cum bellatrice Penthesilea comparatio, de qua canere scit Maronem:

*Audetque viris concurrere virgo. (ff)*

Cicero quoque veterum poetarum versibus utitur: & uti Orationes aliquando, ita Quæstiones philosophicas & Epistolas frequenter hoc genere ornamenti distinguit. Revocari huc possunt Proverbia, quæ a Demetrio Phalereo *Epistolæ pulcritudo* vocantur (gg). Divus quoque Gregorius Nazianzenus eorundem usum suadet: nullis enim id genus luminibus velle unquam exornare epistolas, *αργειον* ait esse, id est, *agrestis* (hh). Accedit Ciceronis exemplum, qui proverbia, quoties occasio tulit, usurpat.

Postremo loco reservavi Similitudinem, in qua omnijum maxime effulget dines. ac veluti triumphat ingenium: frequenta modo, & affectatio absit. Ipse Ci-

L 2 cero

(ee) Angel. Politian. epist. l. 3.

(ff) Virgilius l. i. Æneid.

(gg) Demetrius Phalereus de Eloquione.

(hh) D. Gregor. Nazianz. epist. ad Nicobum.

cero non omnino hoc ornatu absti-  
nuit. Non facile, scribit ad Pætum, di-  
judicatur amor verus & filius, nisi aliquod  
incidat ejusmodi tempus, ut, quasi aurum  
igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo  
perspici possit (ii). Imitator Ciceroniani  
styli Muretus, dum sua quædam poe-  
mata mittit, cum alienis edenda, mo-  
deste ait : *Eundem fortassis usum præstare  
poterunt, quem in pictis tabulis umbræ, quaæ  
efficiunt, ut luminescentia magis emineant.* Ipsi  
etiam Lipsio in tanta illa sua brevitate  
digredi ad similitudines nonnunquam  
vacavit. Oudarti sui epistolam eo ma-  
gis suisse gratam ait, quod post diu-  
turnum silentium missa esset : *avidius  
ad cibos imus, post abstinentiam aut famem.*  
Ad Bonfræum Philosophiæ Doctorem,  
cujus discipuli Theses Lipsio dedicar-  
rant, ingeniose scribit : *Sicut in scenam  
actores prodeunt, poeta latet : ita hic factum.  
& tu ille auctor muneric es, alii quasi iatores.*  
Orano, cum Legum Doctor creatus es-  
set, gratulatur Lipsius, ducta a stellis  
comparatione : *ut eæ quoque non sibi, sed  
hujc orbi, lucent : sic ad alios nunc ingenii  
tui lux perveniat.* Eundem hortatur :  
*Sicut amnes, mare qui influunt, falsuginem  
ejus non mutant : sic in te quicunque affectus,  
ne diluant Justitiae severitatem.* Eadem  
venustate monet alium : *Sicut rota, quaæ*

in

(ii) Cicerò Epistol. Famil. l. 9 epist. 16.

*in terra volvitur, parte ima & minima eam tangit, cetera extat & est in alto: sic nos oportet decurrere per hæc humilia, optima & maxima parte altos & sublevatos. Quam ingeniosum est illud venustissimi Angeli, cum Assentationibus juxta ac obtrectationibus non magis se moveri scribit, quam umbrâ sui corporis: non enim, quia longior illa & extenſior mane ac vespri sit, meridie vero brevior & contradictrior; ob id ego quoque statim major proceriorque mihi mane ac vespri, quam meridie ipso videri debeo.*

*Et libro, qui proxime sequitur, quarto, de laudis natura subtiliter differit: non minus enim plerumque delectat falsa, quam vera laus: sicuti gratius accidit fere, quod dono datur, quam quod ex debito. quod tamen, ne falsum sit, de pusillis tantum & abjectis animis intelligendum: vir enim magnus, ut ipse adulari turpisimum sibi dicit, ita adulantes sibi contemnit, & mentientibus indignatur, qui quasi veris ipse laudibus careat, ad fictas confugiant. Sed quid ego Sene-  
cam taceo, qui in similitudinibus unus omnium est felicissimus? *Quemadmodum nihil differt, ait ad Lucilium, utrum agrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transfert: sic nihil refert, utrum animus æger in divitiis, an in paupertate ponatur.**

tur. malum suū illum sequitur (kk). Sapientissime, ingeniosissimeque alibi: *Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra: faciebat ex ære. si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset, quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit; si minus, in paupertate: si poterit, in patria; si minus, in exilio: si poterit, imperator; si minus, miles: si poterit, integer; si minus, debilis* (ll). Plenus est hujus generis floribus Seneca, qui non minus habent ingenii, quam soliditatis, & morali Philosopho in primis convenient: nam quisquis docet, similitudine ad explicandum non minus opportune, quam ratione ad convincendum utetur. Sed pridem sentio, nimium me in exemplis Ingenii esse: ad Vitia transeundum est.

**Nihil ingeniosum, nisi lusu cavendum ante omnia, nequid falsum.** In pugnum ea contraham. In ingeniosum, nii lusu cavendum ante omnia, nequid falso; deinde ne putide, ne inepte, ne per affectationem dicatur. Falsitas ingeniorum pestis est: cum enim humana ratio amplecti falsum non magis possit, quam voluntas amare malum & manifestum est, ingeniosum (id est, humanæ rationi gratissimum, ejusque præcipuum bonum) esse nullo modo posse, quod verum non est. falsum enim humanæ ratio-

(kk) Seneca Epist. 17.

(ll) Idem Epist. 85.

rationis summum malum est ; ingeniosum contra maximum ejusdem bonum : nullum ergo falsum ingeniosum , ut nullum tenebricosum illustre. Gaudere autem falsitate & delectari , et si sit in speciem splendidissima , non potest sani hominis mens : quemadmodum sanus oculus splendorem , qui occaecat , intueri sine vi & dolore non potest : nulla enim facultas , nisi forte furore præceps feratur , summum suum malum sciens amare & prosequi , eoque oblectare se potest. Qui aliter sentit , & ingeniosum distingui posse a vero putat ; amplexetur per me licet Chimæras suas , & in Italorum scriptis sibi pupas querat. in foliis Thesauri & Juglaris Elogiis totos modios inveniet argutiarum , quas ille ingeniosas dicet ; ego , quia ingenium mentiuntur , cum sint falsissimæ , gemmas vitreas aut ignes fatuos appellabo. Hujus farinæ est Thyrſus ille Puteani , cum in quendam nobilem , stirpis suæ postremum , qui scriptis famam sibi comparaverat , ita ludit : *Interierat avitus familie tuæ splendor , nisi interiisset (mm).* Quare amabo , interierat ? non poterat ille , et si genus propagasset , literatus esse ? Sed nimirum fieri non potest , ut in falsitate non saepe deflestant , qui meros *Aculeos* , ut Puteanus

L 4

Thyr-

(mm) Eryc. Puteanus Thyrso Philotesie 42

Fugienda  
putida;

Thyrsos suos appellat, edere cupiunt.  
Si minus falsa, putida certe laus est, qua  
idem auctor amicum prosequitur: *Virtus  
in animo, Majestas in vultu, Suada in ser-  
mone. Has imagines, an potius Deus?  
veneror; te vero non tanquam imaginem Dei,  
sed quasi Deum* (nn). Habemus Deas &  
Deum: quid deest, nisi tus & victimæ?  
Ægyptios fortassis imitatus est Putean-  
us, qui pro Deo colebant, quidquid  
ea die primo occurrisset. Ego vero, si  
amicum laudare voluero, hominem esse  
patiar: nam Deos ex hominibus facere,  
periculosest artificium. quid si enim  
Horatianus aliquis fannio accedat, no-  
voque Deo illud inscribat:

*Olim truncus eram sieulinus, inutile lignum,  
Cum Faber incertus, scannum, faceretne  
Priapum,  
Maluit esse Deum: Deus inde ego (oo).*

Æque putide Loredanus, cum dicere  
vellet, nimiam esse Persiani in se huma-  
nitatem, hoc colore usus est: *Honores,  
quibus indignus afficitur, plus pudoris affe-  
runt, quam lætitiae. non bearunt Semelen  
Jovis radii, sed verterunt in cineres. Cur  
Semele est Loredanus? quid in verna-  
culam epistolam (Italice enim scripsit)*  
recon-

(nn) Eryc. Puteanus Thyrsio 10.

(oo) Horatius l. i Sermonum, Satyra g.

recondita fabula accersitur ? ridiculum  
 est & putidum, eruditionem obtrudere,  
 quæ tunc tantum grata est, cum velut  
 ultro se obtulit, & facile intelligitur.  
 Ad eruditio[n]is expertes ea scribere, quæ <sup>inepta;</sup>  
 non percipient, idem est, ac si ad illite-  
 ratum hominem epistolam mittas Græ-  
 corum Poetarum fragmentis refertam.  
 Nihil est eruditione antiqua plenius  
 Lipsianis Epistolis : quævis tamen ad  
 quemvis non nisi ineptissime scriberen-  
 tur : quia satis non est, epistolam ab  
 auctore suo intelligi ; sed aliquanto  
 magis necessarium, ut sit lectori perspi-  
 cua. Muretus ad Odiscalcum ait, tam  
 sibi gratam accidisse illius narrationem,  
 ut *Ulyssis*, inquit, *Homerici narrationem*  
*Alcinoo ac Phœacibus minus fuisse jucundam*  
*putem.* (pp) erudite hoc vir doctus ad  
 doctum. sed idem si ad semidoctum  
 aliquem scripsero, num ille ad Homeri  
 interpres debebit confugere, ut epi-  
 stolam meam intelligat ? Affectatio  
 etiam invisa est sapientibus & præstat & <sup>affecta</sup>  
 nullum esse, quam per vim intrusum <sup>ca.</sup>  
 decorem. Quis a risu sibi temperet,  
 cum illud Emmanuelis Thesauri legit ?  
 Per mare lacrymarum tandem portum felici-  
 tatis attigi : unde ego tibi, qui mea Cynosura,  
 & meus Castor ac Pollux extitisti, celeus ma-  
 canto, & vota solvo. Evidem magnum

L 5

defi-

(pp) Muretus Epist. 46.

desiderium dulciorem efficit delectationem obtentam: sed illa voluptas, quae me, præter omnem opinionem, literis tuis improviso obruit, velut alterum Diagoram præ nimio gaudio mori me coegit. Ex quo tandem id inveni, quod anxietate tanta quæsivi. Tanta exultatione repletus sum, ut cor illi capienda par non esset, & ego velut insaniens, quod & Archimedes inventa demonstratione mathematica fecit, circumcursem ad amicos meos exclamans: Inveni, inveni. Sicut repercussi solis radii rectis ardenteres sunt: ita cum gaudium in me directum, perque tuam epistolam in me repercussum sit, dicere audeo, tuo gaudio me magis affici, quam te ipsum (qq). Quidquamne pulcrius vidisti unquam, Ruæe? En' uni epistolæ inclusos Diagoram & Archimedem, Solem & Cynosuram, Castorem & Pollucem, mare lacrymarum & celeusina & vota; verbo, venustrissimarum rerum, sed nihil inter se cohærentium, artificiosissimum chaos. Vides hic hominem, qui furere incipit, quia epistolam ab amico accepit. Imo vitam bono viro immanis hæc lætitia eripit: quodque post homines natos contigit nemini, mortuus de suo obitu amicum certiorem facit. Illi deinde solis radii, nunc recti, nunc repercussi, & tota hæc prodigialiter congesta eruditonis strues, nonne evidenter ostendunt, aucto-

auctorem epistolæ vera, naturali, sincera lætitia, cum ista scriberet, repletum fuisse? hæc enim est natura scilicet vehementissimorum affectuum, ut ingenio indulgeant, discoloribus omnia translationibus implicit, exquisitas comparationes accumulent, simplicitatem studiofissime caveant, in omnibus denique tranquilli hominis & otio suo abutentis effigiem referant.

*Humano capiti cervicem pictor equinam  
Jungere si velit, & varias inducere plumas,  
Undique collatis membris (rr);*

speciosiorem hac epistola tabulam non efficiet. In hæc somnia autem proclives sunt ii, qui splendorem naturæ præferunt, & ex eo sunt hominum genere, de quo Seneca Rhetor: *Nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est præter subtilitatem (ss).*

His vitiis si caruerit ingeniosa epistola, subire omnium oculos poterit: & quoties lecta fuerit, delectabit. eadem est enim Epistolæ conditio, quæ Poëeos:

*Judicis argutum quæ non formidat  
acumen,  
Hæc placuit semel, hæc decies repetita  
placebit (tt).*

At

(rr) Horatius initio Artis Poeticæ.

(ss) M. Seneca præfat. in l. i Controversiarum.

(tt) Horatius in Arte Poetica.

At si vitium subest, prudentibus quidem & semper, & omnibus displicebit: ceteris vero, et si placebit fortasse, certe tamen neque omnibus, neque semper placebit.

## EPISTOLA XIV.

*De Venustate.*

**T**ertium supereft Epifolæ noſtræ ornamen-  
tum, Venustas, quam ex  
harmonia & compositione verborum  
oriri dixi. Scio, mi Ruæ, quam be-  
nevolum te leſtorem ſim habiturus,  
cum de Venuſtate diſſero, cujus in  
omni ſermone vitaque ſtuđiosiſſimus  
ſemper fuisti. Quod fi eidem iſfensuſ  
effes, Ciceronis tibi auctoritatē ob-  
ſeruerem: qui, cum exemplar ſit ma-  
jesta-  
tis & gravitatē ſummo ſtudio ubique  
ſeſtetur: in Panegyricis tamen, quibus  
affiniſis eſt Officioſa Epifola, longe ali-  
ter atque *in veritate cauſarum* ait eſſe  
verſandum: cum enim ab Oratione  
ſeria mollitiem omnem luſumque abeſſe  
par ſit, in laude contra & gratulatione  
*aperte ac palam elaboratur*, ut verba verbiſ  
quasi demenſa & paria reſpondeant, ut crebro  
conferantur pugnentia, comparenturque con-  
traria, & ut pariter extrema terminentur,

eum-

*sundemque referant in cadendo sonum* (a). alioqué loco probat itidem *insigne*, & *florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores* (b). Imo ne gravissima uidem Oratio Venustatis omnis, quæ ab harmonia proficiscitur, expers esse potest: neque enim oratorio numero carebit unquam perfecta Oratio: numerus autem harmoniæ genus est, ut mox apparebit. Venustatem enim seu harmoniam styli triplicem esse reor: nam vel e tota periodo nascitur, vel e periodi membris, vel e membrorum vocabulis. venustas, quæ e vocabulorum conflictu existit, lusus verborum est; quæ e totis membris, oppositio; quæ e cursu ipsius periodi, numerus. De singularis videamus.

Non Oratio tantum aut Historia, sed *De Natura* Epistola quoque certum verborum numero. numerum ac veluti orbem desiderat: qui si desit, vel inculta asperitate herrebit, vel hiabit inanis, vel incerta & inæquabilis fluctuabit. Mirum profecto est, quanta numero vis insit, quamque diversam speciem nanciscantur eadem verba, si modo eorum inter se ordinetur. Numerosum est illud Plinii de

(a) Cicero in Oratore.

(b) Idem eodem libere.

de M. Tullio: *Utinam ut sacerdotium idem & consulatum, multo etiam junior quam ille, sum consecutus; ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte assequi possim* (c). ener-  
vatum erit idem, & aures offendet, si nullo omissio vocabulo, solum ordinem turbes, dicasque: *Utinam, ut consecutus sum idem sacerdotium & consulatum, etiam multo junior, quam ille; ita saltem senex possim assequi ex aliqua parte ingenium ejus.* Quid numerosius Tulliano libri primi Academicorum exordio? *In Cumano nuper cum mecum Atticus noster esset, nunciatum est nobis a M. Varrone, venisse eum a Roma pridie vesperi, & nisi de via fessus esset, continuo eum ad nos venturum fuisset.* peribit venustas tota, si ita delumbaveris: *Cum Atticus noster nuper cum mecum esset in Cumano, a M. Varrone nobis nunciatum est, eum pridie vesperi venisse a Roma, & eum continuo venturum fuisset ad nos, nisi esset fessus de via.* Nimirum ut in harmonia musica non modo, quibus ea instrumentis constet, sed & quo instrumentorum concentu, consideratur: sic in compositione non vocabulorum tantum, sed & ordinis ratio plurimum refert: quantumque interest, sensus idem quibus verbis efferratur; tantum, verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel fine claudantur. nam quadam sententiis parva,

elo-

(c) Plinius junior l. 4 epist. 8.

*elocutione modica, virtus hæc sola commendat* (d). Sed quam certa est necessitas, tam incerta regula: aurum enim judicio potius, quam anxiis legibus hic parendum. Ne tamen nihil dicam, duas primum vocabulorum classes distinguo; alteram, quorum ea syllaba, quæ præcedit ultimam, brevis est; alteram, quorum longa. priora illa permitte Ruæe ut claritatis gratia *dactylica* vocem, posteriora *spondaica*. Dactylicæ voces sunt, *republicam, senserint; spondaicæ, conservarent, armare, malitis.* Siqua ergo regula numeri constituenda est, placet mihi eorum sententia, qui membra quidem periodorum dactylicis claudi saepius, ipsas vero periodos spondaicis malunt. Ciceronis Orationem pro Domo exempli caufsa si inspicio, video primas periodos his vocabulis terminari: *republicam conservarent. armare malitis. laudare possimus. impunitate munivit. me præsente senserint, arbitrere. monumentorumque deterret.* Vana est Thesauri opinio, existimantis, in periodorum clausulis postremam quidem esse spondaicam vocem debere; sed illi præmittendam dactylicam. Vel sola, quæ præmisí e Tullio, clausularum exempla docere possunt, non minus frequenter aut numerose duo spondaica in exitu collosciari.

(d) Quintilianus Institut. Orat. I. 9 cap. 4.

cari ego certe non video, cur numerosius sit senserint arbitrere, quam impunitatem munivit. Sed haec tenuia. Exemplum periodi ad superiorem modum confectæ subjicio e Cicerone ad Lentulum. *Tamen si mili nihil fuit optatius, quam ut primum abs te ipso, deinde a ceteris omnibus, quam gratissimus erga te esse cognosceret: tamen afficior summo dolore, ejusmodi tempora post tuam profectionem consecuta esse, ut et meam, et ceterorum erga te fidem et benevolentiam absens experirere* (e). Cognosceret, quo prius membrum finitur, dactylicum est; *experirere* in periodi fine spondaicum, praecedente spondaico *absens*. De initio autem & medio periodorum praecipere, & infiniti res foret laboris; neque tantam illa, quantam clausulæ, curam desiderant. Ne haec quidem eodem semper sono complendæ sunt: putidum enim foret id artificium, si perpetuum esset. Præterea, dactylica quoque, imo & unius syllabæ voces, non raro periodum venustissime claudunt. Sic ad Tironem suum Cicero: *Quantum me diligitantum fac ut valeas; vel quantum te a meis diligi* (f). sic idem alibi: *Quin in bello nihil adversi accidit non prædicenter me* (g). sic Julius Cæsar Scaliger

Nu

(e) Cicero Epistol. Familiar. l. 1 epist. 5.

(f) Idem earundem l. 16. epist. 4.

(g) Idem l. 6 earundem, epist. 6.

Numerorum lenitas non in omnibus potuit sequi nos (h). Qui numerus sensu numerifica proportione respondet. Nequam igitur anxium hic esse oportet; sed diligenter quidem, sine affectatione tamen numerosæ periodorum harmoniæ attendere: illa siquidem, ut optime docet numerosissimus Auctorum omnium Tullius, non est res tam difficultis, quam necessaria: nihil est enim tum tenerum, tam flexible, neque quod tam facile sequatur, quo cunque ducas, quam oratio (i). quapropter ibidem addit, vocabula mollissimæ ceræ similia esse, quæ ad nostruin arbitrium duci, & in quamcunque velimus formam fangi expeditissime queat. Unum est, quod vitari in solutæ orationis cursu Aristoteles primum, deinde Cicero saepius, & Quintilianus, ceterique omnes eloquentiæ magistri jusserunt: ne vide licet imprudenti magna versus pars vel, quod péjus est, versus totus per indiligentiam excidat: quo quid potest esse turpius (k) ? exclamat Cicero: & Quintilianus, *Versum*, inquit, *in oratione fieri multo faedissimum est totum, sicut etiam in parte deformis, utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu*

(h) Scaliger epist. 17.

(i) Cicero lib. 3 de Oratore.

(k) Idem in Oratore.

gressu (1). Miror , subrepsisse hoc  
vitam politissimo Plinio ad Sparsum  
scribenti: *Aeschinem ajunt potentibus Rhodiis legisse orationem suam, deinde Demosthenis; summis utramque clamoribus esse probatam* (m).

Membro-  
rum oppo-  
sitio

Membrorum oppositio , si solido  
etiam sensu nitatur , perjucunda est ;  
cum verborum inter se proportione , ac  
velut conflictu ; tum claritate , quam e  
contrariis juxta se positis nasci prover-  
bio & experientia scimus . Quod venu-  
stius illo Victuri de sanitate tuenda præ-  
cepto ? Duo inquit esse ad illam conser-  
vandam necessaria , *quietem in animo, motum in corpore* . Fatetur ipse Buhursius ,  
severissimus alioqui , ornamentum hoc  
delectare plurimum ; & , si rite adhibeat-  
tur , ingens esse styli lumen (n) . Triplex  
porro est oppositio : vel enim affinia  
inter se opponuntur , vel contraria , vel  
per affinia ; eadem . Affinia opposuit A. Cæcina ,  
is pro quo extat Ciceronis Oratio . scri-  
bit ille ad Ciceronem de Cæfare : *Apud ipsum multum, apud ejus omnes plurimum potes* (o) . affinia quippe sunt *multum*  
&

(1) Quintilianus Instir. I. 9 c. 4.

(m) Plinius I. 4 epist. 5.

(n) Bouhours in Methodo repte cogitandi,  
Dialogo 2.

(o) Cæcina in Epist. famil. Ciceronis I. 6  
epist. 7.

& plurimum, ipsum & ejus omnes. Plinius ait: *Magna Isæum fama præcesserat, major inventus est* (p). magna & major oppositione sua blandiuntur. Multo venustius idem ad Tacitum suum: *Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda; beatissimos vero, quibus utrumque* (q). Contraria inter se junxit Cicero: *Sapienter hec reliquisti, si consilio; feliciter, si casu* (r). Et supra scripserat: *præsertim cum habeam duas res, quibus me sustentem; optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem* (s). Contraria sunt *consilio & casu, vivo & mortuo*. Subtiliter Plinius in Regulum quendam, meticulosum & levem hominem, sed magna jactare solitum: *Est alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut plurimum audeat, plurimum timeat* (t). Seneca dixit: *Auctoritatem habemus senum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, sed infantium. illi levia, hi falsa formidant, nos utraque* (u). Eadem eadem, denique opponuntur, converso ordine: *sed ordine quod uti est difficillimum, ita mire delectat. Hujus generis est, quod Angelus* <sup>commuta-</sup> <sub>to.</sub>

M 2

Polii-

(p) Plinius l. 2 epist. 3.

(q) Idem l. 6 ep. 16.

(r) Cicero Epist. famil. l. 7 epist. 28.

(s) Idem ibid. epist. 3.

(t) Plinius l. 2 epist. 11.

(u) Seneca epist. 4.

Politianus ad amicum scripsit : *Non est autem, quod aut ruri urbem, aut rus in urbe desideres, si ipse habitas tecum; si, quoconque is, te sequeris; magnum tibi in quavis solitudine theatrum, magnam solitudinem in quovis theatro facturus* (w). Brevius Seneca : *Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento. nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus* (x). Generatim in exemplis his omnibus id observare licet, idcirco duntaxat eorum oppositionem placere, quia solidus, & saepe admirabilis sensus latet : quem ubi verborum structura commendat, gemitur voluptas, & praeclara imago pulcræ regulæ inclusa venustior fit. At si vel nullus subest, vel falsus his elegantiis sensus : ridiculae notæ sunt, quæ inanis sono aures implent, puerilis tantum animi oblectamenta. Talia fuit tintinnabula illa Marsili Ficini, quibus Laurentio Medicæo blanditus est : *Laudo te in arte, artem in te probo. In natura te honoro, naturam in te miror. Te per DEUM colo, veneror per te DEUM* (y). Quid istis verbis potest esse clarus; nisi media nox apud Cimmerios? Eadem venustate præmiserat Ficinus: *Peripatetici . . . in omnibus eum laudant, Platonici contra in eo laudant*

(w) Angelus Politianus Epistol. lib. 2.

(x) Seneca Epist. 5.

(y) Ficinus lib. 1 Epist.

*laudant omnia.* Mihi hebetes sunt oculi : nihil video, non intelligo subtile discrimen hoc. Claribra sunt, non meliora, quæ in Thyrso quodam Puteani leguntur. *Laudatus non te laudo, ne non tam proferre judicium meum, quam referre gratiam videar : sed amatus amo, cum vel non amatus debeam.* *Amor urget mutuum, laus recusat ; laus ex amore nascitur.* Sic igitur a te laudor, quia amo<sup>y</sup>; sed non te laudo, quia amo (z). Suis casibus se involvit : quomodo enim non laudat, quia amat ; si laus ex amore nascitur ? si laudatus est, quia amatus : nonne vicissim laudare debuit, cum & ipse amaret ? Res utilis est falsitas, & refellitur facile : quin & ipsa non raro se refellit, dum sibi contradicit. facilis est autem in falsitatem lapsus, ubi nimium subtilitatis studium : fere enim araneorum telas texunt, qui subtili hoc & circinato filo deducere omnia volunt.

Dicit me Puteanus ad lusum voca- Lusus vobulorum, qui ultimus & infimus est harmoniæ gradus. nam & in hoc pa- cabulorum quando probetur. rum felix fuit, cum scripsit: *Verba premo,* *pignus promo* (aa). aut : *prisci carminis* *veneres agnoscō & veneror* (bb). Quid est hoc obsecro nisi syllabarum aucupium ?

M 3 hæ

(z) Eryc. Puteanus Thyrso Philotessio 8.

(aa) Idem Thyrso 77.

(bb) Idem Thyrso 86.

hæ enim solæ opponuntur, sensus vacat. Severo hic judicio opus est, ne frigidis sint & absurdī hi lusus, quales plerumque sunt, nisi vel joci tantum gratia usurpentur, vel solidō & grandi sensu impleantur ita, ut vocabulorum illa affinitas ex re nata esse, non accersita videatur. Jocatur Seneca, & miserabilem parasitum irridet, cum ait: *Satellius Quadratus, stultorum divitum arrosor; & quod sequitur, arrisor; & quod duobus his adjunctum est, derisor* (cc). sed eadem tolerabilia non essent, si serio dicerentur. Sensu grandi lufum vocabuli nobilitavit Ovidius, cum ad Maximum cecinit:

*Maxime, qui tanti mensuram nominis imples* (dd).

*Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas* (ee).

Non minus sublimiter Lipsius Eminensissimo Ascanio Columnæ precatur, captata e nomine occasione: *DE U Mrogc, te inter vere columnas & fulcra Christianæ Reipublicæ servet* (ff). Difficilior lufus est ejusdem Lipsii, cum in ea epistola, qua Mariæ Gornacensi patris mor-

tem

(cc) Seneca Epist. 27.

(dd) Ovidius l. 1 de Ponto, eleg. 2.

(ee) Idem l. 2 de Ponto, eleg. 3.

(ff) Lipsius Centur. 1 ad Belgas, epist. 43.

tem nunciat, abiisse dicit *Montanum* (id erat nomen defuncto) *ad alta & aethereos illos montes*. Jure dubites, jocarine in funere, & funere paterno, decuerit virum gravem: sed forte hoc ipso joco avertere muliebrem animum a doloris sui memoria voluit. Nunquam periculosius luditur in nominibus, quam cum ex illis argumentum serium ducitur: tunc enim fere non frigidus tantum, sed & falsus est lusus. Frigida erat ignoti cuiusdam acclamatio ad Alexandrum, cursu in Olympiis certaturum, quod refert & damnat Demetrius Phalereus (gg): Αλεξανδρε, δραμε σε της μητρος το ονομα. Id est: *Alexander, curre tuæ matris nomen.* Innuebat Olympiadem homo ineptus, quo nomine & Alexandri mater, & ludi illi Græciæ celeberrimi appellabantur. Falsum vero est epigramma Maxæmyliani Vrientii ad Marcum Hertogium Confiliarium; quem, quia *Hertogh* Belgis idem ac *Dux* est, ita alloquitur:

*Affectent alii titulosque & nomina honorum,*

*Nascentem voluit te DEUS esse Duxem* (hh).

Perinde est, ac si ad Vrientium, quoniam Belgis *een Vrient* amicum sonat, ita

M 4 dice-

(gg) Demetrius Phalereus de Elocutione.

(hh) Vrientius Epigrammatum l. 2.

dicerem : Te nullus est amicus melior : cum enim alios fieri amicos necesse sit, te nasci amicum DEUS voluit. Quia argumentandi ratione admissa, nemo inhumanior fuisse dicendus erit Hermolao Barbaro, nemo stolidior Henrico Moro : Magus enim Graecie *stultus* est. Contra Christianus Weise sapiens natus est : & Phaedro, quoniam Φαίδρος lætum significat, nemo fuit hilarior.

Nihil af. Nihil ergo in toto hoc Venustatis restatum genere sapientius, quam quod suasit acer fit, nihil in Satyra Persius :  
non foli-  
dum.

*Pulsa dignoscet cautus,  
Quid solidum crepet, & pistæ tectoria  
linguae (ii).*

si enim nulla subest soliditas, indignus est laetus, qui, inter feria quidem, a prudente scribatur ad prudentem. Ipsa etiam solida tectoriis illis non nisi raro & dissimulanter incrustanda sunt : nam & contemptui sunt ac fastidio, si saepius gustentur haec bellaria : & generatim nihil est odiosius affectione (kk), ut monuit Quintilianus. Si ad corrupti styli amatores scribemus, qui adulterinis adamantibus collucere undique omnia volunt : serviamus illorum libidini, quantum

(ii) Persius Satyra 5.

(kk) Quintilianus I. 1 c. 10.

tum fieri sine vitio poterit: placere enim  
vult hæc Epistola. Tates autem , mi-  
"Ruæe , nunquam deerant. quare ?  
quærām ego vicissim , cur in Indiis bar-  
bāri passim vitrum & acus auro gemmis-  
que prætulerint. nempe , fulgere vi-  
debant illa ; istorum pretium usumque  
nesciebant. Quid mirum , si pusillis  
fucatisque lenociniis delectentur pusilla  
ingenia ? quid mirum , si simios oscu-  
lentur simii, deformes deformia ament ?  
pulcros se putant, & ista pulera : doctos  
se putant, etiam cum nūl nisi corruptum  
& putidū vel sciant , vel probent.  
Putent autem , quamdiu volent : nos ,  
Ruæe , in sinu ridebimus , nec mirabi-  
mur ,

*Publius exiguæ si flagrât amore catellæ ,  
Si Cronus similem cercopæcon amat (ll).*

## E P I S T O L A X V.

### Orthographia.

Laudo memoriam tuam , Ruæe , quæ  
ne minimorum quidem obliuisci te  
sinit. Expensis ceteris omnibus , una  
supereft recte scribendi ratio , quam  
gaudeo a te non negligi : nihil enim  
turpius , in epistola maxime , quæ alienos  
oculos subit ; quam ne pauca qui-  
M 5 dem

(II) Martialis l. 7 epigramm. 26.

dem verba emendate scribere posse, & interpongere. Possunt ista contemni, fateor: sed ita, ut qui ea spreverit, apud doctos non possit non sperni. Sicut vestes, etiam fibulis globulisque destitutae, tegere nos nihilominus possunt; sed non nisi inculte admodum, magnoque nostro incommodo: ita minutis his scribendi praesidiis spoliata oratio intelligi quidem poterit; sed scribentis inscitiam arguit, & saepe non parum incommodat. Recte porro scribendi officium quatuor partibus continetur; elementis, apicibus, disjunctione, interpunktione.

**Orthographia in litteris;** Quibus elementis seu literis quodque verbum scribendum sit, communis doctorum consensui usuique credendum est. Spectandæ quidem cum origines: libri veteres, nummi, lapides consalendi: sed si haec omnia nos defecerint, doctorum usu stabimus, quem penes arbitrium est, & jus, & norma scribendi non minus, quam, ut Horatius dixit, loquendi (a). Græcæ Latinæque origini plurimum tribuo; nummis ac lapidibus multum, non omnia, nisi quapropter ratione consentiant: nam & ab imperitis plerumque inscripti sunt, & manifesti erroris convincuntur non raro.

(a) Horatius in Poetica.

raro. Sic in erudito Aldi Manutii opere, quod *Orthographiae Rationem* nuncupat, *Cena* e simplici in lapidibus omnibus legitur; quod quis hominum hodie recipit? Ibidem novem numeravi lapides, qui pro Epistola *Epistulam* appellant, evidenti errato, cum Graecum sit *Ἐπισολη*. Invenio & in lapidibus pluribus *Querella*, *Supremus*, *Squama*, *Tater*, *Have*: quæ tamen literati nostræ ætatis omnes contra scribunt, *Querel*i**, *Supremus*, *Squamma*, *Teter*, *Ave*. Sed operæ pretium non est digladiari de minutis: otiosis Grammaticis ia relinquamus. Eruditissimos immensa sua lectio, quomodo scribendum sit quidque, nescire non finet: mediocriter docti, ut in Latinitate, ita in Orthographia, cum dubitaverint, ad Frisium similesque cogentur recurrere: quos si sequentur, a crassis saltem erroribus tuti erunt. Quædam tamen, quæ scribentibus occurrere solent frequentius, annotare singillatim ad eruditionem juvabit.

*Audor*, *Autor*, *Author*, promiscue a doctis scribitur. Ego eruditissimos viros, ac hujus rei studiofissimos, Lipsium, Aldum Manutium, Raderum, Bisselium sequor, qui *Audor* & *Audoritas* scribunt, nam, ut antiquissimus Grammaticus Sosipater Carisius inquit, a verbo vetere  
anquo

*auquo natum est.* ostendit præterea Manutius lapides quinque, antiquissimis temporibus diversis locis inscriptos, qui hanc opinionem firmant.

*Cælum* scribendum esse, non *cælum*, extra dubium est. nam (ut Romanorum doctissimus, qui Latinas origines ex instituto investigavit, Terentius Varro testatur) a cælando dictum est: *cælare* autem omnes scribunt, non *cælare*.

*Carus*, non *charus*. consentiunt apud Manutium lapides omnino IL. suffragatur & ratio manifesta: si enim a Græco *χαρες* duceretur, primam corriperet.

*Cauſſa* geminato s ipſe Cicero & Virgilius ſcripsit (b), quos viri doctissimi cum Lipsio imitantur paſſim. accedit lapis Capitolinorum auctoritas, qui haud dubie omnium ſunt emendatissimi.

*Ceteri, cetera.* ita, teste Manutio, libri veteres & lapides omnes.

*Defiderium.* turpis error eſt Nomenclatorum quorundam, qui *desyderium* ſcribunt: nec enim unquam Latina vocabula literam *y* admittunt, niſi cum a radice Græca proveniunt.

*Femina;* non, ut vulgus, *fæmina*. ſimpler enim *e*, ut ait eruditus Colonia, *veteres omnes lapides & libri* ſcribunt (c).

Octo

(b) Quintilianus Institut. Orator. I. 1 c. 12.

(c) Dominicus de Colonia in Arte Rherorica, editionis Tridentinæ pag. 13.

*Octo lapides* vidi ipse apud Manutium,  
quorum nullus & habet.

*Inclitus*, a Græco *κλίνος*, *celeber*. Qui-dam *inclitus* malunt a *κλείτος*, *celeber*: sed illis secunda vocabuli syllaba producen-da erit, quam omnes corripiunt.

*Lacryma* sine aspiratione. ita & ante se, & suis temporibus scribi consueisse, testis est omni exceptione major Cicero in Oratore. y habet, quia a Græco *δακρυα*, *lacrymæ*, oriundum est, prima litera, ut fit, in aliam commutata.

*Literæ* communius, ut opinor, apud eruditos legitur, quam *litteræ*.

*Nuncio*, *nuncius*. Manutius ex lapidum fide.

*Pæne*. Libri veteres, eodem teste, & lapides omnes.

*Seculum*. alii *sæculum* malunt.

*Sepulcrum* sine aspiratione. Cicero testis est in Oratore, & ratio evidens: *χ* enim Græca est litera, quæ in Latinis, nisi e Græco translata sint, locum non habet.

*Sidus*. perperam multi *sydus*: non enim est Græcæ originis.

*Sincerus*, non *syncerus*, eandem ob caussam.

*Tiro*, non *Tyro*: nam & istud Latinum est, non Græcum.

*Tus sine aspiratione: a tundendo enim dictum esse , locupletissimus auctor est Varro.*

In accen-  
tibus ;

Apex , quem Accentum plerique appellant , in patronorum suorum sententia triplex est ; gravis , acutus , circumflexus . Circumflexo in contractis utuntur , ut si dicam : *cum legasset ei centies nummum sestertium* . hic etiam & qui , cum idem sonant , ac *hoc loco* , quo modo , apice distinguunt . ò nescio quare circumflexo notatum , ut à & è gravis scribitur & *sensus expers* , *manus explicatio legere librum* ; ut a similibus discernantur . Ablativos tunc tantum notant , ut Quintilianus loquitur , *cum eadem litera nominativo casu brevis , ablativo longa est* (d) : quod in prima tantum declinatione accedit . Acuti in paucissimis vocabulis usus est , cum nimirum tria illa , quæ Græco more *enclitica* vocare possumus , que , ve , ne , ultimæ præcedentis syllabæ juncta , eandem acuunt . De gravi convenit inter omnes , competere illum duntaxat vocabulis declinationis expertibus , ne ob literarum similitudinem cum nobilio-ribus aliis confundantur . ita scribunt , *Omnis multum superat* : ut a nomine distinguitur : *multum est in hac urbe nomen tuum* . At ecce , gnaviter , oscitanter nemo apice signat : quia nullum simile voca-  
colum ,

(d) Quintilianus l. 1 Institut. c. 12.

bulum, a quo distingui debeant, repetitur. Quare non video, cur Lipsius aegrè, Puteanus *iterum* scribant: otiosæ sunt enim hæ notæ, cum nulla sit vox, quæ sono cum istis conveniat. Eadem de caufsa notari non debent *temere*, *bene*, *rite*, *pæne*, *sœpe*, *pulcre*, *integre*, ceteraque omnia, quæ cum sola sint, discriminine opus non habent. Contra, si regula potius & ratione, quam vulgari usu abusive, stare sectatores apicū veint; distinguenda erunt illis sequentia: *saltēm*, *item*, *foris*, *quoquè*, *itā*, *nisi*, *indē*, *uti*, *magis*, aliaque id genus: nam & *saltare* dicimus, & *itare*, & *navium foros*, & *primo quoque tempore*, & *aliena auctoritate nisos*, & *indere*, *uti*, *magos*: quæ omnia certis casibus temporibusve cum superioribus illis cum convenient, inscripta virgula discriminare illa cogentur.

Hæc ego ex aliorum sententia, qui apices hos tuentur: me enim ipsum abstinere vides, sic tamen, ut suum cuique morem libenter permittam. Erit vero eorum humanitatis, a quibus diffentio, ut idem ipsi faciant, neque ob evissimam rem ita exclament, quasi fortunæ totius Germaniæ periclitentur. Antiquitatem nobis objectant? nostra est. necessitatem? nulla est. De utroque tam breviter dicam, mi Ruæe, satis

ut

ut appareat, me totam hanc disceptionem tanti non facere. Antiquitatem sibi in Latio vendicant. cuius rei?

*Accentuum.* Vide mihi antiquitatem in Latio, cuius in toto Latio nomen ipsum non extet. Quis Romanorum *accentus* nomine ad significandum apicem usus est? Utuntur vocabulo Solinus, & Quintilianus (e), scio: sed ut sonum indicent, non ut notam. At meminit, et si alio nomine, Quintilianus: cuius ego in hac ipsa Epistola locum paulo ante exscripsi. Fateor: quid poscit autem? duo haec: primum, ut ablativum a nominativo distinguas apice; deinde, ut idem signum usurpes, [cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit: ut malus, utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur: palus aliud priore syllaba longa, aliud sequente significat] (f). Placetne conditio? an deinceps, cum edere librum, notum hominem, solum, aut sero te accepisse literas scribes, apicem syllabæ cuivis primæ impones? nam & comedere est edere & notus ventus, & solum in quo insistimus, agricultoræ serunt. in quibus cum prima

cor-

(e) Quintil. lib. i Institut. cap. 5. Solinus  
Polyhistor. mihi c. 11.

(f) Quintil. l. i c. 12.

corripiatur, si Fabium audis, superiora illa notam suam desiderant. Desine igitur Quintiliani nomen jactare, cuius in eodem loco, in eadem caussa, auctoritatem simal sequeris, & contemnis. Desero ego Quintilianum? cum illis facio, qui sequi se clamant. Omnes deserimus. Quintilianum desero? non facio injuriam: ipse Ciceronem deseruit. Atque hoc est, quod de Antiquitate contendentibus metam figit. Apicum patroni ultra Quintilianum non habent, quem pro se producant. Novi ergo sunt homines, sero ingressi: Domitianus seculum illorum est, Augusti nostrum. Auream ætatem nobis relinquunt: de sua ipsi viderint.

Quid autem? ne Quintiliano quidem patrono, nisi ex minima parte gloriari possunt. Ablativi signum, quoties ille cum nominativo concurrit, Quintiliano assertore defenditur: cetera omanis turba quod habet in tota antiquitate patrocinium? quis Romanorum, vel ex ætate ferrea, unquam docuit, *recte*, *malle*, *certe*, *ñ*, *ð*, *è*, & quæ sunt ejusdem generis sexcenta alia, scribendum esse? Nominent, si viri sunt, auctores suos: quod si non possunt, fateantur, quod es est, se ab antiquitate descivisse, se deterioris conditionis esse, se confue-

tudinem scribendi in Republica literaria novasse. Nobis vero , quod liberaliter & illiberaliter faciunt , novitatem invidiouse objicere cesserent : ne antiquitatem latinam , in re quidem tenuissima , sed quam tamen ipsi tot velitationibus dignam existimant , non modo non sequi , sed ne scire quidem credantur.

At utilitas suadet , ut hæc vocabulorum discrimina retineantur : perspicuitati enim consulitur , & in ambiguis admonetur continuo animus , ne velut in bivio hæreat , dum hic eum index eo statim ducit , quo auctori placuit. Si de rudissimis puerulis ageretur , qui nondum primas Alvari paginas concoxere , tacitus hæc audirem : sed de hominibus latine scientibus dici talia , non possum profecto non mirari. Si vere affirmavit , & porro dixit omissis apicibus scripsero , eritne quisquam tam pinguis ingenii , ut ambigat , num de verno tempore , aut porro herba intelligi velim ? Sunt alia , inquiunt , non æque dilucida , & quæ obscuritatem aut hæsitationem inducant. Si qua sunt , vulgatum illud & antiquum his antiquitatis laudatoribus reponemus , unam hirundinem ver non facere. Quod operæ pretium , quoniam millesimus fortasse apex adjumento ad claritatem futurus est , totam illam inutilem

utilem turbam alere , & ut molestiam unam semel vites , graviorem aliam tibi millies exhibere ? Dicamus , quod res est : assuetudo decipit , assuetudo offundit tenebras , quæ , ut apud anum illam Senecæ , in oculis , non in ædibus sunt . Si curet is , qui scribit , ne positione vocabulorum ambigua ipse peccet , mora lectorum non tenebit . Quid in Symbolorum inscriptionibus , quid in ceteris quadrata litera pingi solitis , lector agit ? an ad apices tum decurrit ? nulli sunt . Imo quid in omni fermone , in oratione , in disputatione quacunque audientes habent , quo in vocibus dubiis se sustentent ? notarumne auxilium vel expectat quisquam , vel etiam desiderat ? Latinitatis notitia , compositio ipsa & rerum cohærentia fatis quemque expediunt . Eam ergo rem , qua in omni humana consuetudine facile omnes caremus , in literis librisque ab omni necessitate procul abesse confitendum est : eadem cum molestiæ plurimum , utilitatis vix aliquid habeat , in antiquitate vero apud optimos latinitatis auctores exemplo careat : non dico , sequantur meliora adversarii , & signa illa sua deferant , sed , quod minimum est , contenti servasse sua , nobis quoque concedant , ut opinione nostra vivamus , neque rei tantulæ , quod nonnulli faciunt , etiam sanctissimum

religionis nomen admisceant. Si laboris non piget, in libris tota Europa postremo hoc seculo editis, imo & superiore magnam partem, apud omnes gentes, audeo dicere, non minus multa nostri moris, quam fui, exempla reperient. Antiquiora etiam sunt, quæ exhibeam: sed in negotio adeo nullius momenti satis erit volumen unum proferre, non apud externos, non nostra proximave ætate, sed in provinciæ hujus nostræ finu anno ab orbe reparato millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Ingolstadii excusum: eo liber totus Orationum Francisci Bencii S. J. ejusdemque Carminum libri quatuor absque ullo apice continentur. Liceat ergo nobis, five horum antiquorum, five recentiorum omnis ordinis innumerabilium exemplo, deliciis his Gothicis abstinere, & ita scribere, ut a viro latinitatis integrimæ Jacobo Facciolato, ab Harduino nostro aliisque Regiæ Bibliothecæ apud Gallos auctoribus, ut in Operibus omnibus Francisci Suaris Doctoris Eximii (g), ut denique in voluminibus doctissimis & sacra eruditione refertissimis Benedicti XIV Pont. Max. factum videmus.

His de latinitate scriptis, silentio prætermittere non possum, quod de græco fer-

(g) Edit. Venet. 1740. 51.

sermone jam pridem cum multis opto, eo etiam impensius, quo major in græcis, quam in latinis literis, mercis hujus est copia molestiaque. *Accentus* omnes, & *spiritus lenes* (dabis enim hanc veniam, ut grammaticorum nominibus in re grammatica utar) conservato solum *spiritu aspero*, & *apostrophi nota*, missos facere fatius videtur, quam custodire. Sed hoc quoque procul ab omni contentione dictum sit, neque refellendi cujusquam caussa, sed excusantli mei. Audi, mi Ruæe, Jacobum Dangalierium, virum illum græcae linguae peritissimum, qui de *accentuum* usu ita disputat: [Qui invainuit passim in scholis Accentum efferendi usus, qui attentius inspexerit, non modo pro vero ac legitimo non est habiturus, sed alienum potius, & perversum; neque solum cum ipsis Grammaticorum regulis, sed secum etiam pugnantem, tantum a vero distare, quantum cæium a terra, deprehendet] (h). Quod porro his verbis exequitur: [Usus ille a me perversus appellatur, vel hoc uno nomine primum, quod vocales η & ω, quas Grammatici omnes longas esse pronunciant, ob Accentum velint efferri breves: quo nihil ineptius meo quidem judicio dici potest. Tu

N 3

enim

(h) Anton. Dangalieres in præf. ad Canon. Græc.

enim agnoscas  $\eta$  &  $\omega$  vocales esse longas, præsertim in medio dictionis, ubi nunquam breves sunt; id ipsum autem cum Grammaticis omnibus & Poetis agnoscas; easdem tamen in vocibus  $\alpha\pi\theta\omega\nu\tau\sigma\zeta$ ,  $\alpha\pi\theta\omega\nu\tau\mu\alpha$ , & similibus velis efferri breves: quid unquam magis pugnans? Si longæ sunt (ut fateris) opinor in pronunciatione longæ sunt; quid enim longum, aut breve in syllaba, extra pronunciationem, cogitari potest? Eandem igitur syllabam, cum longam esse aīs, longam efferendam affirmas: eandem iterum qb Accentum efferri vis brevem Ergo eandem syllabam simul vis esse brevem, & longam. Quid magis ineptum, ac præposterum? Idem plane absurdum admittere tenentur in vocalibus  $\epsilon$  &  $\circ$ , quas, postquam in ipso limine Grammaticæ breves esse confessi sunt: easdem ipsi, homines nullius aut constantiæ, aut memoriæ, in vocibus  $\theta\epsilon\sigma\tau\kappa\theta\kappa\sigma$ ,  $\delta\epsilon\alpha\pi\theta\tau\eta\zeta$ , &c. longas esse volunt, ob Accentum in penultima. Ecce tibi iterum eandem vocalēm brevem & longam efficiunt. J Idem ex carminum sono fit manifestum: quæ si secundum *accentus* legantur, perit numerus, longeque aliter, quam pedum vicissitudo exigit, ad aures vocabula allabuntur. Quod a me saepe multis ita est voce ipsa recitando demonstratum, nullus

nullus ut esset inficiandi aut dubitandi locus. Cum ergo iidem sint carminis & profæ *accentus*, in carmine vero pronunciationem moderari non possint, in profa quoque oratione ab eodem officio remoti semper fuere. Hanc si eis vim adimimus, quid supereft, quin otiosi penitus una cum *spiritu deni* in Utopiam deportentur? Quod si fiat, illud etiam emolumenti sperare licet, multorum industriad, quos intricatus hic & varius *accentuum* Labyrinthus nunc absterret, promptiorem deinceps ad græci sermonis studia fore, ne semper conqueri Parnassus Græcus Dionysii Petavii verbis cogatur:

[-- ἐλαδικῆς πρώτην μελεδηματα Μεσῆς,  
Ης παντοὶ ζυνταν· πολλοὶ δέ τε πομπαν  
απίσσαν] (i).

Scribendi notitiam sequitur dividendi in divisione.ars, qua sœpiissime opus est, quoties nimirum ad linearum fines abrumpenda vocabula sunt. Imperiti duabus obliquis virgulis id significant: docti in vernacula sœque ac latina libros sequuntur, in quibus germanica quidem verba duabus, latina vero una tantum transversa virgula disjunguntur. Ipsius divisionis alia est in compositis, alia in sim-

N 4 plicibus

(i) Petav. Operum Poetic. P. 3 in Carm.  
Græcis, Panegyr. 2.

plicibus ratio. In compositis inchoanda est nova linea a stirpe, seu illo vocabulo, a quo compositum derivatur: ut *re-peto*, *ad-orō*, *sub-eo*, *abs-traho*, *anim-adverto*, *sic-ut*, *vel-ut*. Quæres fortasse, quorsum referenda sit illa litera, quæ in quibusdam verbis stirpem inter & præpositionem elegantiae gratia interjicitur; qualis est in *redire*, *prodeſſe*. Ego *red-ire*, *prod-eſſe* scribendum sine dubitatione aſſero: non enim verba præpositionum gratia mutari solent, sed harum potius est verbis servire. certe nihil est communius, quam præpositiones videre obsequens verbum litera postrema mutatas: sic enim dicimus, *accedo*, *supprimō*, *circuitus*; & e Græco σὺν, *syllaba*, *symphonia*. Latina composita dignoscuntur facile: molestius est in Græcis negotium. quotusquisque *Philippus* scribet, aut *Hydrargyron*? atqui ita jubet origo Græca, & sole clarior compositionis ratio: prior enim vox idem sonat, ac ἄππες Φίλων, *amans equorum*; posterior ἥδωρ αἴγυρον, *liquor argenteus*, quod latine *argentum vivum* vocamus. Sed in his, quæ Græcæ linguæ notitiam poscunt, quasi facile error committitur a scribente, tam raro a legente deprehendi solet: ut adeo & tutum plerumque sit, neque valde indecorum, in istis subtilioribus labi. Eadem Græca in simplicibus quo-

quoque separandis potissimæ difficultatis origo sunt : eorum enim dividendorum regulam hanc omnes statuunt. Consonans una duas inter vocales media sequenti redditur , non priori . at si plures sint consonantes , tot ad initium sequentis lineæ rejicientur , quot in principio cujuspiam vocabuli eodem ordine conjunctæ conspiciuntur. Clarior fiet regula , si exempla accesserint. *Fi-ge-re* scribendum est , *a-ge-re* , *fu-ge-re* : quia vocales singulæ intermediæ ad posteriorem semper ( nisi verba sint composita , de quibus jam non agimus ) vocalem pertinent , non ad priorem. At pererram divideretur , *fi-ngere* , *a-lge-re* , *fu-rgere* : nullum enim vocabulum ab *ng* , *lg* , *rg* , initium sumit. contra *cata-phra-gos* scribimus , utraque consonante ad inferiorem vocalem deducta : quia *phrasis* , & *Ctesiphon* dicitur , quorum initia ab iisdem conjunctis consonantibus constituuntur. Nunc , quam nobis molestiam græca faceffant , appareat facile : ex illa enim lingua translatæ in latinam voces , græcaque ipsa vocabula , peregrina sœpe habent initia , quæ qui nescit , dividere recte permulta non potest. Collegi olim initia vocabulorum minus usitata in catalogum , & memoriæ firmandæ caufsa , ne ad libros

semper recurrentum esset, in hanc tabellam digessi.

*bd.* ut *bdeλιον*; Βδελυγος, impurus. hinc scribendum *A-bderita*.

*chl.* ut *Chlamys*, *Chloris*. hinc *Me-chli-nium*.

*chn.* ut χνοος, *lanugo*. hinc scribendum *Ara-chne*.

*cir.* *Christianus*. hinc *cen-chris*.  
*chth.* χθες, *heri*; χθων, *terra*. hinc *Melan-chthon*.

*cm.* ut κμντος, *elaboratus*. hinc scribendum *Pyra-cmon*.

*cn.* *Cnejus*. hinc *O-cnus*.  
*ct.* *Ctesiphon*, κτεινω, *occido*. unde *sanc-tus*, *re-cte*.

*dm.* δμως, *servus*. hinc *Ca-dmus*.  
*dn.* δνοφος, *caligo*. hinc *Aria-dne*.

*dr.* *draco*. unde scribendum *Ha-drianus*.

*gn.* gnarus. quare dividendum *Pro-gne*.

*mn.* *mnemosynon*, *Mnestheus*. hinc *o-mnis*, *da-mnum*.

*phl.* *Phlegethon*. hinc *Murzu-phlus*.  
*phn.* φνει, vox avium apud Aristophanem. quare *Da-phne*.

*phr.* *phrajis*. unde *Onu-phrius*.  
*phth.* *Phtnia*, Thessaliae urbs. hinc *A-phthonius*.

*pna.* pneumaticus. hinc *Dym-pna*.  
*ps.* *Psa.lo*. hinc *la-psus*, *di-psas*.

*pt.* *Ptolemæus*, *ptisana*. hinc *ca-ptus*,  
*ru-ptus*.

*sb.* σθεννυμι, *extinguo*. unde *Le-sbius*,

*sm.* *smaragdus*. hinc *Co-smus*,

*sph.* *Sphinx*. hinc *a-sphodelus*.

*fq.* *squallor*, *squamma*, hinc *te-squa*,

*sth.* *Sthenelus*. hinc *Mne-stheus*,

*thl.* *thlaspi herba*; θλαστ, *Frango*, unde  
*Eva-thlus*,

*th.* θμοσιω, *morior*. hinc, quod vul-  
gus usurpat, *e-thnicus*.

*thr.* *Thraso*. quare *bara-thrum*.

*tl.* *Tlepolemus*, hinc *A-tlas*.

*tm.* *Tmolus*, hinc scribendum *Pa-tmos*.

Addunt his eruditæ, teste Emmanuele Alvaro, literas *bs*, *gm*, *gd*; et si nullum ab iis latinum græcumve vocabulum inchoetur: quorum ille rationes affert libro Grammaticarum Institutionum tertio. Cum illis proin licebit scribere, *a-bsinthium*, *smo-gma*, *sti-gmo*, *Ma-gda-lena*, *smara-gdus*, ceteraque istis similia.

Divisiones hæ non adeo frequenter Regulae occurunt: interpunctionibus vero, nulla est periculus, nullum periodi mem-  
brum, quod carere possit. Non minoris pæne momenti est in scribendo interpunctio, quam pronunciatio in dicen-  
do: utriusque enim neglectus oratio-  
nem confundit, & inscitiam non medio-  
crem prodit. Turpissimum certe est, in

re tam obvia , tam necessaria , vix quenquam esse , qui certas ejus regulas vel doceat , vel discat : ut mirum non sit , non adolescentes modo , sed viros etiam , cetera doctos , hac tamen in re ad alterum quemque passum titubare aut labi . Nimisrum sibi quisque dux est , & quod a puero consuevit , facere vir & senex pergit . Videamus ergo ante omnia , quod primo in omnibus , & negotiis & artibus cogitandum est ; quis finis quæratur . Interpunctionum finis est , offerre legenti claram distinctamque cogitationum nostrarum imaginem : ergo , quanta est sensuum , tanta debet esse interpunctionum distinctio . Hac jam lege , quam ipsa natura dicit , singula interpunctionum genera metiamur . *Punctum majus & minus* Grammatici nominant ; *colon* item *majus & minus* , seu *colon & hypocolon* ; *parenthesin* ; *commia* , seu *virgulam* ; *interrogandi* denique , & *exclamandi* notas . Utamur illorum vocabulis , & generalem illam regulam ad singula transferamus . Punctum majus . distinctio omnium maximæ , tunc solum adhibendum est , cum præcedentis sententiæ sensus a proxime sequentibus maxime differt : unde apparet eorum hominum error , qui solum ubique punctum majus ambientes , minus illud omnino de possessione dejiciunt , nulla- que

que illius culpa ex omni scriptione eliminant. Admonere illos erroris sui Lipsius poterit, quo nemo fortasse frequentius punctum minus adhibuit. ex innumeris unum & alterum exemplum feligo. *M. Antonium Muretum (ex animo dico) amo & simo que. minus prompte id ostendo, quia quædam in me ab illo non amicata simultatis caussam subjicit : Tacitum edidi. quid ergo? an illius? quæ hic injuria est, si campum eundem Famæ decurri, sine fraude? Sed mihi jam ista non magna: & revera pudeat me verba consumere in talibus rebus (e).* Vides, Ruæe, acre illud judicium Lipsii, etiam in re tantilla. ubi sensus velut ab integro nascitur, punctum majus velut limitem posuit: ubi cohærebat cum prioribus, minoribus contentus fuit. Cum plene est absoluta sententia, majore punto recte concluditur. si verborum ambitus quidem finitus est, sensus tamen cohæret, minore punto utendum est. denique, si ipse verborum ordo pendet adhuc, & pars periodi supereft; colon requiritur. Puncti minoris necessitatem indicant saepe, neutiquam tamen semper, vocabula *Hic, iste, ille, is, qui* eorumque similia: quamquam, an sensus posterior cum priore connexus sit, e scribentis arbitrio plerumque & prudentia

pen-

(e) Lipsius in Miscellaneis, Centur. I epist. 52.

pendet. Ceterum unus est error de punctis pervulgatus, quem vix peritissimi quique effugiunt. numerorum notis puncta addunt, etsi nondum finita sententia: quasi numeri plus quam literae poscant. Supervacanea est interpunctio, quandiu nullum est rerum discriminem: imo turbat illa non raro legentem, an finita sit sententia, an numeri tantum caussa interpoletur, ignarum. Numeris ergo vel nulla, vel illa tantum debetur interpunctio, quæ alteri cuicunque voci eodem loco subjungeretur. Romana sic numerorum forma, an Arabica, quam vernacula plerumque dicunt; nihil hic refert: nam & Romano more scribendum est, *Aristoteles libros propemodum DCCCL reliquit*: & Arabica forma idem exposcit, *Divus Augustinus 360 non amplius libros vulgavit*. Satis de punctis: ad colon transeo, in quo præcipuam esse difficultatem pluri- mi opinantur. Multa multi disputant, quæ constructio duo puncta (sic enim colon a figura appellant) quæ colon minus seu hypocolon, vulgo semicolon, desideret. Ego Aldum Manutium sequor, qui ubi de Interpunctione ex instituto differit, de duobus punctis ita ait: *Usurpantur, cum sententia vel duas, vel plures, habet partes, quæ suis singulæ verbis reguntur, per se subsistunt, absoluteque*

*tæque sunt (f).* Exemplum addit e Cicerone: *Etsi, quocunque in loco quisque est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum, & juarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.* Minus autem colon iis locis debetur, qui plus requirunt quam comma simplex, a vocabulo tamen præcedentium aliquo pendent. Naturæ convenientissima est hæc Manutii regula: cum enim disjunctio sensuum esse debeat interpunctionum mensura, minor profecto requiritur interpunctio, ubi major est cum præcedentibus nexus: major autem nexus est, si verbum aliquod e præcedentibus sequentem sententiam rogat; minor, si ista per se consistat: hic ergo majus colon, illic minus duntaxat locum habet. Exempla Manutii hæc sunt: *Tu, quid divitiæ valeant, libenter speßas; quid virtus, non item. Ratio docet, si adversa fortuna sit, nimium dolendum non esse; si secunda, moderate lætandum.* in quibus non nisi minus colon ponitur, quia verba *speßas, docet, utrumque membrum regunt;* majorque adeo est eorum cognatio, quam ut toto colo separari possint. comma autem nequaquam sufficit, ne

præ-

(f) Aldus Manutius de Interpunkione.

præceps & confusa feratur sententia ; & , ubi in pronunciando insistendum sit, non videatur. Eadem regula ostenditur , non sufficere simplices virgulas, sed hypocolis opus esse in his & similibus : *Innumerabilia tua sunt in me officia ; domestica, forensia ; urbana, provincialia ; in re privata, in publica ; in studiis, in literis nostris* (g). *Inanes & vacuae rerum species , tanquam in somno , venerunt, abierunt ; astiterunt, evanuerunt ; circumfusa , & dispersæ sunt ; teneri videntur, & non tenentur* (h). quis enim non videt, in exemplis his bina quæque vocabula inter se componi ; ideoque arctiore inter se vinculo , quam cum ceteris , esse constringenda ? Plura hic observari non inutilia poterant : sed judicio plura, quam legibus , & melius , deciduntur. Percurro obiter cetera , quæ supersunt. De Parenthesi , tacere non possum , inquit Manutius , inepte facere , qui hæc Parenthesi includunt , Ut puto , Ut res indicat , Ut a majoribus accepimus . Quod equidem facile intellexerim , & similia (i). virgulam enim ait sufficere , aut summum colon minus. Alia de Parenthesi notatu digna est observatio Erycii Puteani , censentis , ante aut post

(g) Cicero Epist. familiar. I. 16 epist. 6.

(h) D. Ambrosius Epistol. I. 7.

(i) Aldus Manutius de Interpunctione.

post semicirculum , quo Parenthesi clauditur , comma insuper aut colon ponit aliquando posse (k). faciunt id eruditi quidam , quos inter Joannes Bisselius , & ipse Justus Lipsius . Bisselius , ut exemplo res illustretur , ita interpungit : *Crispum enim , Constantini M. filium , Stephonius (quem dixi) , Romanis oculis dedit* (l). *Et hoc faciemus* ( *inquit ad Hebreos sexto capite divinus Paulus* ) ; *si quidem permiserit Deus* (m). Lipsius , cum Homerum fuisse Stoicum argumentis aliquot persuadere conatus esset , ita pergit : *Alia in eo multa ad hanc sedam (alibi dabimus) : sed eruenda sunt* (n). imo & punctum semicirculo addit : *Non dicis id palam , fateor : ( pudor te ligat & vis veri) . sed suspicionem facis , & ritu Parthorum jacis aversa sermonum tela* (o). De virgula , quæ comma vulgo , id solum dicam , claritati nonnunquam dandum esse , ut vel ponatur illa , vel omittatur , etsi aliud videatur per se exigere ratio constructionis. Lactantii verba sunt : *Etiam*  
*figu-*

(k) Puteanus in Faculis Distinctionum c. 15.

(l) Bisselius in Dacyllothea Senecæa.

(m) Idem in ejusdem epilogo.

(n) Lipsius in Manuductione ad Philosophiam Stoicam l. 1. dissertat. 17.

(o) Idem lib. 2 Electorum , c. 23.

*figuratio terreni hominis, cœlestis populi præferebat in posterum fictionem* (p). quæ licet una cohærent perpetua constructione, nisi tamen interjecta virgula distinguerentur: obscurum foret, homone an populus cœlestis dicatur. tametsi istis succurri etiam absque interpunctionis ope potest, si trajiciantur voces: uti hic, *Etiam terreni hominis figuratio fictionem cœlestis populi in posterum præferebat.* Contra omittenda nonnunquam est virgula, si sensum turbaret. fecit id sapienter Lipsius, cum ad Oranum scribens laudare patruum illius coepisset: *sed fileo, & modestia ejus, ac contemptus vel odium potius gloriæ, os mihi frœnant* (q). si contemptui virgulam adjecisset, obscurum fuerat, contemptorem gloriæ Oranum Lipsius appellare voluerit, an generatim Stoicum rerum omnium & hominum contemptorem. quam ambiguitatem, quippe odiosam, ut vitaret vir prudens: interpunctione dilata effecit, ut contempnum ad solam gloriam referri perspicue appareret. Exclamandi signum saepe exclamationi ipsi commode adjungi non potest, sed differendum est ad perio-

(p) Laelius Firmianus, Divinarum institutionum l. 7 c. 14.

(q) Lipsius Centuria i ad Belgas, epist. 52.

periodi finem, ne sensum abrumpat. ita scribam quidem: *O tristem nuncium!* *vixit Guilielmus noster.* at si exclamatio constructioni mediæ inserta sit, sic potius: *Abiit, proh dolor, Guilielmus ille tuus meusque, nunquam deinceps visurus nos, nisi ex alto!* Si enim *proh dolor!* posuisset, moraretur hæc nota sententiæ cursum, & importuno loco lectoris animum retardaret. Denique interrogandi nota ei tantum convenit, qui interrogat; non ei, qui tantum narrat. interrogat Juno, cum dicit:

*Nil poterit Juno, nisi inultos flere dolores?*  
*Idque mihi satis est? hæc una potentia nostra est?* (r)

at non interrogat, sed narrat, cum pergit:

*Ipse docet, quid agam.*

diversissima enim sunt, & pronunciatione, & sensu, *Quid agam?* &, *Ipse docet, quid agam.* Inepte proin faciunt, qui, quoties *An*, aut *Quis*, similiave occurruunt, continuo interrogandi notam sibi usurpandam ducunt, scribunt-

O 2 que:

(r) Ovidius l. 4 Metamorphos.

que : Quæritur , fitne hominis anima immortalis ? Quæstio prima : an mundum regat providentia ? non enim hic interrogant ipsi , sed interrogari narrant . nimis hebetes illius aures sint necesse est , qui vel ex ipso sono non advertat , quantum differant elatae & acutæ pronunciationis interrogatio , Regiturne mundus providentia ? & gravis altera , ac remissa , Quæritur , an providentia mundum regat . certe vel pueri sciunt , quid inter directam & indirectam , ut ipsi vocant , orationem intersit . Interrogationis notam evanescere aliquando , si longior sit periodus , & verborum sequentium veluti vortice absorberi existimat Aldus Manutius , ut in hoc exemplo : *An tu putas esse bonos viros , qui amicitias utilitate sua colunt , nihil ad humanitatem , nihil ad honestum referunt ; nec libenter ea curant , quæ ego nisi curarem , præter cetera prorsus me tua benevolentia , in qua magnam felicitatis meæ partem soleo ponere , indignum putarem.*

Tandem , tandem , mi Ruæe , jucundissimam hanc & omni lepore confertissimam disputationem de literulis & punctis absolvo , teque de equuleo hoc Grammatico sero depono . Si molestus fui , quæsto te , ut tibi ipsi imputes :

putes : cur enim coegisti , ut Grammaticus fierem ? Quin imo , brevitati potius meæ gratias age , qui e tam vasto mari tam cito te in portum deduxerim : nam , crede mihi , nisi viæ compendium quæsiissim , & identidem ad prudentiam tanquam ad cynosuram respxissim ; nunc quoque in odiosissimis Syrtibus mecum hæreres. Sed , ne ipsa excusatione longitudinis fiam longior , dimitto te cum Venusino vate :

*Sit modus lasso maris & viarum.*

### EPISTOLA ULTIMA.

*Uſus eorum, quæ bactenus dicta sunt.*

**A**d metam ventum est , Ruæe nobilissime : ultimam enim hanc vides Epistolam , priorum omnium brevem Epitomen. Colligam hie in tabulam omnia , quæ ad scribendam Officiosam Epistolam opportuna dixi.

Unde peti possit Epistolæ  
*Materia.*

Videndum , *Quis* scribat , aut *Cui* scri- Tabula ad  
batur. quod genus , nomen , patria , usum tiro-  
O 3 vitæ num.

vitæ conditio, fama, opes, valetudo, pietas, felicitas, & ante omnia propensiones.

*Quid* precandum. ut sanus sit, longævus, votorum compos, DEO gratus, in se suisque felix.

*Ubi.* quæ regio, urbs, domus.

*Quibus auxiliis.* an scribat admonitus a sociis, mnemosyno, casu.

*Cur.* qua caufsa veteri, qua nova impulsus.

*Quomodo.* quam reverens, quo rerum suarum statu, qua valetudine, quam tristis aut hilaris.

*Quando.* an pridem scripferimus : quo anni tempore, quo anno scribamus.

### Speciatim :

*Exordium.* ab eventu recenti, excusatione, usu, amore, timore, eruditione, proverbio, similitudine, ex abrupto.

*Propositio.* vel ordinaria est ; vel pathetica, grandis, ingeniosa, ex ipso exordio petita.

*Laus.* laudamus candide. laudamus non laudando. laudamus amoris specie, reverentiae, joci.

*Gra-*

*Gruiliarum actio.* beneficium prædicamus, pollicemur memoriam, obsequia offerimus.

*Transitiones* si necessariæ sint, formulas ostendi.

*Epilogus.* a caussa finiendi, promissione vel petitione amoris, voto, obsequio, sui commendatione.

*Responso.* præter præcedentia, ab excusatione, gratiis, amore mutuo, laudibus nostris aut amici, verbis acceptæ epistolæ.

### *Stylus.*

Curandum, nequid *barbarum* sit, nequid *supervacaneum*.

*Simplici* stylo, cum expediet, utendum: culto tamen.

*Ingeniosus*, a sententiis, animadversionibus, paradoxis, eruditione, nimilitudinibus. sed nequid falsum, affectatum, vel ad non intelligentem.

*Venuslus*, a numero; oppositione affinium, contrariorum, eorundem; aliquando a lusu vocabulorum.

*Adminicula Styli.* translatio, circumlocutio. de quibus cum nunquam antehac scripserim, paucula tantum exempla proferam, e quibus pateat, vulgarem

rem quemlibet sensum , etiam in abjectis rebus , splendidum per adminicula hæc fieri posse. Translationis ope res vilissimas magnifice effrerunt Symmachus & Lipsius : quorum ille , denuo , inquit , *me pedum vinxit dolor* (a). iste , caligantibus per ætatem oculis : *ad vitrea auxilia devolvor* (b). translationes illæ , quas Græci & scholæ *metaphoras* appellant , *vincire* , *auxilia* fecere illustre , quod plebejum alioqui fuisset. Non inferior translatione est circumlocutio. vulgares sensus erant : *Plurimum amo Voconium* , *plurimum ille me redamat*. *cubiculum orientem solem & occidentem spectat*. *non facile agnoscitur* , *qui sint cujusque hominis mores*. Plinius autem quam venustè illos circumlocutione mutavit ! *Amatur a me plurimum* , *nec tamen vincitur* (c). *Cubiculum* , *in quo sol nascitur* , *corditeturque* (d) : *Vita hominum altos recessus* , *magnasque latebras habet* (e). Nazianzeni tamen monito semper obsecundandum , qui translationes vult esse

(a) Symmachus l. 10 epist. 5.

(b) Lipsius Centuria 1 ad Belgas , epist. 33.

(c) Plinius l. 2 epist. 13.

(d) Idem l. 2 epist. 17.

(e) Idem l. 3 epist. 3.

esse olygas de, καὶ ταῦτα ση ἀνασκήνως, paucas, easque non inuerecundas (f).

*Exegi, Ruæe suavissime humanissime-que, monumentum, non quidem ære peren-nius, ut Flaccus cecinit, regalique situ Pyramidum altius; sed monumentum amo-ris in te mei, illiusque studii, quo nu-tus tuos omnes & desideria observare soleo, & sempiternæ legis instar cum gaudio sequi. Dilexi te, Amice carissime, quo die cognovi, meque a te diligi iudicavi (g): possum enim verissime ad te iisdem ver-bis uti, quibus ad C. Matium Cicero. neque indignus est Maṭius, cum quo Ruæus meus conferatur: fuit enim & doctrina exultissimus, & amoenissima humanitate suavissimus: hoc enim utro-que elogio, suavissimi, dodissimique homini-s (h), ab ipso Cicerone ornatur. Easdem in te, nobilissime Ruæe, dotes cum reperissim: quid mirum, non mi-norem in me tui nominis reverentiam, nec minus celerem firmamque amicitiam extitisse? quanquam ego quidem in Ma-tium incidi, sed tu Ciceronem non nactus es. Duæ sunt Ciceronis laudes*

*præ-*

(f) D. Gregor. Nazianz. ad Nicobulum.

(g) Cicero Epistol. Famil. l. 11 epist. 27.

(h) Cicero Epistol. Famil. l. 7 epist. 15.

præcipuæ ; divina , ac omnibus omnis doctrinæ instrumentis adjuta eloquentia ; & sincerissima fidelissimaque amicitia. harum ego illam veneror ; istam æmulari nunquam cessabo , & hac saltem re summo illi viro par esse , animumque tibi meum approbare conabor. Si forte pagellæ hæ , quas ad te destinavi , perventuræ sunt in plurium manus : legentur in illis & ornamenta , quibus excellis , præstantissima ; & animus in te meus. Tu certe de me dicturus es , quod junior Plinius de Martiale , cuius versiculis laudatus fuerat. *Dedit enim , inquit , mihi , quantum maximum potuit ; datus amplius , si potuisset. tametsi quid potest homini dari majus , quam gloria , & laus , & æternitas ? At non erunt æterna , quæ scripsit.*

*Non erunt fortasse : ille tamen scripsit ,  
tanquam essent futura.  
Vale (i).*

(i) Plinius l. 3 epist. ultima.



